

671. 10 Febr. de medij Deum Colendi Positivis Sab Schotano Wischi *Franecker* 46.

E X E R C I T A T I O ]  
**T H E O L O G I C A**

D E

*29 x LVII b/154*  
*1117 X 63*  
*13*  
Mediis Deum colendi positivis

V. T.

Q U A M

Divinâ praeunte gratiâ,

P R A E S I D E

Plurimum Reverendo, Clarissimo Celeberrimoq; Viro

**D. CHRISTIANO SCHOTANO,**

SS. Theol. Doct. Eiusdemque Facultatis & Historiæ Ec-  
clesiasticæ, in Florentissimâ Frisiorum Academiâ.

Professore Celeberrimo, Præceptore suo per  
omnem ætatem venerando.

*239*  
Publica disquisitioni subicit, *auther script.*

**PAULUS WISCHI** de Maramoros *Ungary.*

ad diem 10 Febr. horis, locoquè solitis.



*Doctissimo Gualtero Bone  
Gottofredo Seren. Chodo  
Wicki Amico singulari  
mittit Paulus Wischi, Ungar.*

F R A N E K E R Æ,

Excudit JOHANNES WELLENS, Illustrium

Frisiæ Ord. & eorundem Acad. Typ. Ordinarius. 1671.

41410

3  
II  
PC

Generosissimis, vera pietatis, Prudentia, liberalitatis, aliarum-  
que virtutum Heroicarum nitore ac decore eminentissimis,  
Consultissimis Viris Dominis,

D. STEPHANO DOBOZI  
D. JOHANNI ERDEODI  
D. ANDREÆ BALLYK

Civitatis Debrecinæ Judicibus Consultissimis, à multis an-  
nis primariis, Fulcris Patriæ utilissimis, ac in ea, veræ  
fidei, & Religionis Christianæ, summâ semper industriâ  
cum Defensoribus acerrimis, tum Promotoribus Zelosif-  
simis; Ecclesiæ Dei ac Scholæ Debrec. celebris Fautori-  
bus summis &c. Dominis mihi Patronis, & Mœcenatibus  
munificentissimis: Ut & reliquis Sedis Judiciariæ  
eiusdem Civitatis præfatæ Debr. consulibus & Assesso-  
ribus Dignissimis, Dominis meis fideli obsequio semper  
honorandis.

DENIQUE

Nobilissimis & Circumspectis

D. STEPHANO FENYES  
D. DANIELI TISZA WARSANYI  
D. STEPHANO MUNKACSI  
D. PAULO PATAKI  
D. BALTHASARI BARTHA

Isti in eadem, Notario Jurato experientissimo, Veræ  
religionis Christianæ Cultori fervidissimo, mihi quæ Fau-  
tori singulari de me benè merenti: His ibidem, Sedis Ju-  
diciariæ Assessoribus dignissimis, Studiorum meorum  
Promotoribus Fidelissimis &c. Dominis meis quoad vi-  
vam colendissimis.

Hanc Theologicam Disputationem  
in gratitudinis symbolum  
O. C. D.

PAULUS WISCHI  
Auth. & Respond.

EXERCITATIO  
THEOLOGICA

DE

Mediis Deum colendi positivis V. T.

THESIS. I.



Vnum illud caput, constitutum supra omnia Ec-  
clesiæ. Eph. 1: 22, 23. & 4: 13. Christus Domi-  
nus, statuit in terris nunquam non perpetuari  
Ecclesiæ, illiusquæ causâ mundum conservari.  
Non minùs enim in terris ac in cælis suum  
agnosci vult nomen ac celebrari, Matth. 6: 10. publicum  
sui cultum integrè ac illibatè conservatum iri, quo genuini  
ab adulterinis, paganis vid: & idololatricis discriminentur  
atquæ dignoscantur cultores: Quo sinceri in Ecclesia mili-  
tante præparentur ad tryumphantem fideles, qui vivorum in-  
star lapidum in hoc Ecclesiæ monte. Heb. 12: 22, 23. in montis  
illius cœlestis usum adaptentur, lævigentur & expoliantur.

II. Hoc autem consilio salutarem promissionem, ac vivificam  
de Christo doctrinam, statim a lapsu homini propositam pro-  
missio semine benedicto, contrituro caput Serpentis Gen. 3: 15.  
renovatam utcunquæ cum Nôâ, Gen. 9: 29. Benedictus Jehova  
Deus Schemi. & vers. 9. Clariùs & distinctius restitutam cum A-  
brahâmo. Gen. 17: 8. Et siam ipsis Deum: in Patrem multitudinis  
gentium constitui te v. 5. 6. Sed illius solius familiæ adstrictam, in  
qua & in cujus posteris Ecclesia præcipuè constitit. Commune-  
factam per Christum qui parietem intergerinum inter Judæos  
& gentes diruit, Eph. 2: 14. in ea resonare voluit, quâ con-  
staret Deum decrevisse Filium suum unigenitum dare eumquæ  
mittere in



32  
III  
ΠΟ

carne, ut esset caro, semen Abrahami & mulieris, Frater servandorum, atque ita sanctificans, & qui sanctificantur ex uno essent omnes, Joh. 3: 16. Hebr. 2: 11. voluisseque justificare per fidem in Christum; atque adeo etiam vera legitimi cultus sui, salutisque obtinendae ratio monstraretur.

III. Vivifica haec doctrina, quatenus indicat consilium Dei de venturo Filio, seu mittendo in mundum, Gen. 3: 15. 9: 27. 17: 8. ad adducendam justitiam eamque praedicandam; & de excellentioribus bonis, posteriori tempore dandis, dicitur ἐπαγγελία *Promissio* spem & expectationem in posterum faciens: quatenus verò per fidem Abrahami, & circumcisionis signaculum firmata est, transit in firmitatem *foederis*. Quodlibet enim firmum statutum Dei de bono creaturae in scripturis, quamvis sit de rebus in animatis, *Dicitur* בְּרִית *foedus*, Jer. 33: 20. 25. Contr. Jer. 31: 36. Unde legem latam post annos, 430 non fuisse contrariam, docet Paulus, atque adeo illud neque irritum facere, neque rescindere potuisse declarat, Gal. 3: 17-21. Et quatenus indicat ea facta esse, quae Deus promiserat; jamque semen illud cuius erat caput conterere Serpentis, & ei regnum suum adimere, & maledictionem extinguere, venisse, & justitiam ac vitam abduxisse, sive salutis causam perfectam factam esse, dicitur εὐαγγέλιον *Evangelium*: Sicut & Διαθήκη *Testamentum* quatenus morte donantis rata facta est. Gal. 3: 15. Hebr. 9: 16. 17. Nam voluntas est hominis ambulatoria usque ad mortem.

IV. Hoc verò Testamentum, ut *Jesus Christus heri & hodie idem fuit & in secula* Hebr. 13: 8. (h. e. Christum fuisse & esse *objectum* fidei ad salutem in utroque tempore, & per gratiam servatos fuisse & in secula servatum iri omnes, qui servantur, atque ita fuisse vitam & lucem hominum, Joh. 1: 4.) ita fuit reipsa & quoad substantiam unum. Unus enim Deus, unum idemque cum Abrahamo, & in ipso nobiscum fecit foedus, seu, se fore Deum illius & seminis ipsius promisit. Unde & Deus Abrahami, & Isaci & Jacobi vocatur Matth. 22:

Unus

Unus se Deus omni tempore ὁ θεὸς & ἐπιληπτός *Vindicem & assertorem* Abrahami & Seminis ipsius, ostendit, Luc. 1: 54. 55. Hebr. 2: 16. Gen. 48: 16. Eadem justificatione, & per eandem fidem qua & gentes justificantur, Rom. 4: 11. 12. & Pater Circumcisionis, Gal. 3: 8. 9. *Abrahamus justificatus est, per fidem sine operibus legis*, Rom. 4: 3. Jac. 2: 23. Eadem benedictiones obrinuit, in eodem *Semine* suo Christo, in quo & gentes, Gal. 3: 16. Idem in promissione seu visione ipsis propositum est ad credendum, quod nobis in εὐαγγελίῳ seu κηρύγματι *praconio* Hab. 2: 3. Unde liquet veteres sperasse, eadem gratia Christi salutem se adepturos, qua & nos, Act. 15: 11. Neque aliud est quod Patres non potuerunt portare jugum v. 10. quam quod consolationem exiguam ex portatione jugi consecuti sunt, & ad manifestationem gratiae Christi anhelaverint, quod expresse docetur Act. 26: 7. 23. 26. 27. 1. Petr. 1: 11. Hinc dies *visitationis* Luc. 1: 68. *dies speculatorum* vocatur, Mich. 7: 4. Esa. 53: 8. Inter quos *Speculatores* erat Simeon, exspectans consolationem Israelis, Luc. 2: 25.

V. Duo tamen in scripturis dicuntur Testamenta, Rom. 9: 4. Eph. 2: 21. Gal. 4: 24. Hebr. 9: 15. 18. 8: 13. 2. Cor. 3: 14. Matth. 26: 28. Jer. 31: 31. non per distributionem generis in species, sed subjecti in adjuncta. Nam Testamenta haec, Dei, unius ejusdemque consilii immutabilis, & a nulla conditione suspensi, sunt tamen quasi duae partes, seu potius duae oeconomiae, & modi, secundum quos filiis quibusdam Abrahami, ut populo suo constituit quaedam diversitate dare & dispensare hereditatem, & terrae Canan velut suae & coeli. Cujus prima pars, quae prius executioni mandatur potest vocari & *Primum Testamentum*, quatenus secundum aliquod est, quod posterius executionem habet; & *Primum* cum aliud ut novum ei successet: altera verò, *Testamentum alterum*, & cum ejus agendi tempus venit, *Novum*, respectu scilicet illius oeconomiae, quae fuit a tempore Moysis, & respectu promissionis Patribus factae, quoniam in illis, quoad modum administrandi, aliqua representatio

A 3

fuit

32  
III  
HO

fuit foederis operum, à quo hoc Testamentum essentialiter differt.

VI. Nam illud Messiam depingit venturum, inde ab Adamo ad illius usque incarnationem: hoc eundem jam exhibitum proponit, indeque in Ecclesia receptum, a primo ad secundum & novissimum illius adventum: Sed & qui praecesserunt, & qui secuti sunt, unâ voce clamaverunt, *Hosanna Filio Davidis*, Math. 21: 9. Illud etiam propria habuit Sacramenta, ut quemadmodum promissionibus, ita promissionum signaculis, modo saltem externo administrandi distinctis, a secundo & meliori differret. Præcipua autem illius Sacramenta erant duo, quæ & antiquiora sunt totâ lege præceptorum, quæ ex placitis constant, videl: *Circumcisio* & *Paschalis agnus*. *Circumcisionis* traditio tribuitur Mofi ita tamen ut negetur ab ipso esse, Joh. 7: 22. Deus enim hoc Sacramentum jam Abrahamo, & Patribus dederat; sed Moses cum reliquarum Ceremoniarum varietate conjunxit & copulavit. Pascha fuit figura manducandi Christi pro mundi vita, & per fidem manducandi. Nam mactatio agni, sanguinis Christi effusionem significabat. Sed de his infra. Illud, quicquid contra strepant Judæi, fuit antiquandum juxta divinam promissionem, Jer. 31: 31. Hebr. 8: 8. 9. & cultui illi operoso ac literali, alter facilius & magis spiritualis debuit subrogari, per novum illud sacerdotium, de quo Psal. 110: 4. Hoc perpetuò duraturum. *Cum venerit tempus, cum neque in monte Garizim neque Hierosolymis Pater sit adorandus*. Joh. 4: 21.

VII. Processit autem Divina œconomia ad abolitionem illius, & additionem hujus (1) Per erectionem Sacerdotii Aharonici, quâ abrogatum est Sacerdotium commune familiarum & cœtum. 2. Per restrictionem ejus ad locum & altare unum: licet identidem fuerit facta celorum permissio, arca locum murante, & extra castra quasi peregrinante. 3. Per restrictionem cultus ad templum primum & secundum in monte Morijah, & sic abolitionem celorum. (4) Per Promissionem de

ad

adventuro Christo ad templum secundum. Ex ea enim constat templum tertium non esse expectandum, & cum templi secundi excidio, etiam sacrificia terrena, & omnes ceremonias legis cessare. Nam templi crematio ostendit Deum non amplius delectari illis. 5. Per admissionem incircumcisorum ad Ecclesiam, ut factum est primò in Cornelio, auctore Deo & Spiritu ipsius, Act. 10: 19. 20. 34. 35. 36. 47. (6) Per templi secundi una cum tribus Pastoribus, h. e. Judicibus, Sacerdotibus, Prophetis seu Doctoribus, destructionem, sine spe recollectionis populi ad templum tertium in Monte Sion sive Morijah ædificandum. Unâ etiamnum Judæi in nulla parte orbis, Deum per sacrificia colere se posse sciunt, ut dictum Christi impleatur, Joh. 4: 22.

VIII. Durante primo illo Israëlitico, *gentes fuisse absque Christo, alienatas a Republica Israelis; alienas a Testamento promissionis non habentes spem & sine Deo in mundo*, Eph. 2: 12. asserit Paulus. Sine Deo, quia Deus testatus est se fore Deum Abrahami, Isaci & Jacobi, atque seminis ejus: de gentibus autem nihil dixit, nisi tandem in Christo benedictionem ad ipsas proventuram; Unde idem Paulus in hoc, non tantum Judæorum, sed & gentium esse Deum dicit, Rom. 3: 29. Sub illo obtinuit legis Ceremonialis jugum quâ fuit chirographum adversus peccatores, quâ rerum suâ naturâ mediarum usum prohibebat, quâ onerosas earundem observationes imperabat, & quâ multiplicibus & carnalibus ceremoniis veritatem ipsam obvelabat. Sub hoc omnia illa omninò sunt sublata. Unde Paulus: Gal. 5: 1. 2. 3. *In libertate igitur qua Christus nos liberavit perstate & ne regredientes implicamini servitutis jugo &c.* Sic Act. 15: 10.

IX. Visum autem fuit Deo, universo illo, ad illius adventum usque temporis tractu, Ecclesiam suam, insigni Ceremoniarum, Rituum, Figurarum & Umbrarum apparatu, ad corroborandam Veterum, in illius expectatione fidem, instruere. (1) Ut tenellæ illius Ecclesiæ infantia ac minoritas,

quæ

32  
III  
no

quæ sublimiorum mysteriorum necdum capax, non minus oculorum quam aurium adminiculis erudiretur ac stabiliretur, nec non sensim præfixis variorum *typorum* rudimentis v. 3. Gal. 4; ad veram rerum ipsarum imaginem Christum nempe ( qui semet, Joh. 14: 6. oppositè ad umbras illas prisceas *veritatem* nuncupat ) traduceretur. Quocirca prisceam ac renellam illam Ecclesiam recens ex ephēbis egressam *tutoribus* subjecit, Gal. 4: 2.

X. Nihilquè ex eo Dei beneplacito detrahi potest, quòd illi ut rudiores & obtusiores, lucidiore ac liquidiore opus habuerint institutione: & Deus non minus illis ac nobis Christum perspicuè revelare potuerit. Nam quam olim in *mundi fabrica* methodum observârat Dominus, quando *luci* præmittebat *tenebras*; nec non in ejusdem gubernatione, quando *diei* præmittit *diliculum*; eandem & in illius Ecclesiæ conditione atque gubernatione servare placuit, quandò Christum Patriarchis (haud secus ac Magis Orientalibus) fasciis gloriæ illius occultentibus involutum exhibuit. Illis in tenellorum numero censuquè habitis Scholam in *Judæa*, angusto orbis angulo aperuit; *Legem Mosaicam* prima doctrinæ rudimenta, quæ Christum rudi & obscuro quodam penicillo adumbrarent, tradidit; Christum ad Fratres suos, haud secus ac Josephum ad suos, venire voluit, qui dissimulatâ prius personâ, post demùm semet detegeret clariùs.

XI. Nec est quòd quærar, quid tam numerosa præceptorum atque institutorum, quibus populum suum oneravit, farragine sibi Deus voluerit? unde vel attentâ lectione atque meditatione vix quippiam elici potest: ex quo factum, quòd e Christianis haud pauci, libros Mosaicos, demptis historicis, plerumque fastidiant, non quidem ob sublestam, quam suspicari velint illorum fidem ac veritatem, sed ob usum ac utilitatem, quæ ad Christianos inde planè nulla redeat. At qui universum illud Ceremoniarum Rituumquè Choragium, quâ par est attentione, penitiùs introspexerit, haud dubiè percipiet

Disp. II. Resp. PAULO WISCHI

percipiet. [1] Quàm verè Salvator Joh. 5: 46. *Scripturæ de me Moses vid: partim in vaticiniis atque promissionibus, partim in Figuris & Umbris; adeo ut si Judæi Mosi credidissent, & in Christum credidissent.* Verùm cum Mosen (non quidem communiter, quem uti summum suum Prophetam maximi faciebant, verùm) speciatim in promissionibus, quoad individuum Christi personam, respuerent, in Christum credere nequie-rint. [2] Quàm aptè, scitè & sapienter semet Deus & sui cognitionem populo isti rituum ac cæremoniarum *δυσχεαρίτων* (quarum tamen nulla superflua esset) sarcinæ & jugi impositione insinuaverit; adeò ut quaquaversum domi forisque verterent oculos, nullibi non Judæi, vel umbras spectarent luculentissimas, vel disertissimos tum Christi, tum officii erga illum, audirent præcones. *Foris* Campus illis exhibebat primitias, pecorum primogenita: *Domi* occurrebant linteola *Φυλακτεῖα*, totidem voluntatis divinæ *Ἐπισημαῖα*: in corpore Præceptorem habebant Circumcisionem: in vestibus, fimbrias; in mensa esculentorum selectum: in filii primogenitum luculentissimum Christi typum.

XII. [2] Ut eo pacto tantò magis conspicuè Christus, illiusquè evangelium (quod majori prælege promulgandum erat jubare) celebraretur atque commendaretur. Christus enim ipsiusmet Dei Filius, adventus sui gloriâ Mosen, illius servum antecelere debuit. Hinc, Joh. 1: 17. *Lex per Mosen data, gratia & veritas per Jesum Christum præstita dicitur.* Ubi Evangelium gratia nuncupatur, non quòd sub lege eadem illa gratia penitùs ignota, verùm comparatè, quòd cum hac, quæ infinitò plenius ac dilucidius illuxit, neutiquam comparanda: veluti lux in diliculo, si meridianam spectes, vix est lux dicenda. Erat quidem illic gratia, at hîc multò major & eximior. 1. *Manifestatione* juxta vaticinium Esa: 30: 26. 2. *Impletione* atque complemento illius; quod comparatè non nisi gratiæ promissionem habebat Act. 13: 32. 3. *Applicatione* & apprehensione non Judæa tantùm, sed omnium ubivis fidelium. 4.

32  
III  
II  
Incremento atque perfectione fidei & gratiæ in vulgariū at-  
que plebeorum, supra reliquos, cordibus.

XIII. (3.) In Ceremoniarum institutione, Sapientia divina, (1.)  
certam & indubiam Tribus ac Familia, ex qua Messias (juxta  
promissionem) oriunduserat, observationem statuit. (2.) Mini-  
sterio, cui nulla erat Sortis portio, peculiariter prospexit.  
Istis enim veluti fasciis atque nervis sacrum ministerium & cæ-  
tum publicum colligavit. (3.) Pauperum & egenorum ratio-  
nem habuit, quo nullus in Israël oberraret mendicus. (4.)  
Ut Professionis & cultus positivi seu instituti, quo Ecclesiam  
suam a reliqua mundi turba discriminaret, evidentiā atque  
conspicua prostarent *extrema* & *Media*.

XIV. Cultus itaque institutus est medium ex Dei volunta-  
te ordinatum, ad cultum naturalem exercendum, promoven-  
dum & modificandum. Est medium relationem habens ad cul-  
tum naturalem, alias enim cultus Dei esse non posset. Nam  
cultum Deo debitum & honorem ipsi gratum, nemo potest  
ullā aliā ratione offerre quoad essentiam actus, quā fide,  
spe & charitate; quippe istis virtutibus recipimus volunta-  
tem Dei & nostram Deo offerimus in honorem ipsius. Sed  
modus specialis actus istius quoad exercitium est in iis quæ  
Deus instituit, ad suum honorem, mediis, in quibus & se-  
cundarius Dei cultus est, & participatio quædam prioris.

XV. Hujus generis cultus nullus est legitimus, nisi Deum  
habeat authorem & institutorem, Exod. 23: 13. Deut. 4: 2.  
& 12: 32. 1 Chron. 10: 13. Nemo enim præter Deum ip-  
sum, vel intelligere potest quid illi gratum erit, vel virtutem  
illam cultui alicui adjicere, quæ efficax fieri possit & utilis no-  
bis: Neque potest quicquam Deo esse honorificum, quod ab  
ipso non procedit tanquam ejus authorem; neque denique po-  
testatem hujusmodi, cuiquam unquam datam legimus a Deo,  
ut cultum aliquem instituat suo arbitratu, Math. 15: 9.

XVI. Media in V. T. *Primaria* ac ipsam concernentia cul-  
tus substantiam, fuerunt *Sacramenta* aut *Sacrificia*. Sic enim  
Deo

Deo imbecilitatem hominum de voluntate & *evdokia* sua insti-  
tuere placuit, mentem quidem verbo ac promissione: *sensus*  
externos, signis ac sigillis conspicuis nimirum Sacramentis, quæ  
idcirco Patribus nonnullis *verbum visibile* nuncupantur. Quandò  
in statu integritatis vitam æternam ex pacto spondet sub obedi-  
entiæ conditione, mox Protoplastorum sensibus, genuinum si-  
gnū, arborem nempe *cognitionis boni & mali* (ita appellatam, quòd  
per illam manifestum futurum esset, utrum homo *bonus*, h. e.  
obediens & sic justus, an *malus* h. e. inobediens injustusque  
esset: item quòd occasione illius arboris, ut justitiæ, ad quam  
vocabatur, & injustitiæ, ita felicitatis amissæ & miseriæ  
accessit differentia erat apparitura, Gen. 2: 9. 17.) nec non al-  
teram *Vitæ*, proponit. Ubi post lapsum, *benedictum* illud pol-  
licetur *semen*, verbo promissionis adjicit *Sacrificia* Gen. 4:  
Cum ante Christi adventum Fidelibus liberationem a peccato,  
morte, damnatione sub fidei, in venturum illum Messiam  
conditione, spondet, confessum promissionem illam gemino  
*Sacramento* stato seu fixo & occasionali sancit.

XVII. *Sacramentum* (a *Sacrando* dictum, quia hominem  
sacrat Deo) priscis latinæ linguæ authoribus profanis signifi-  
cat 1. *Pecuniam*, a litigantibus apud Pontifices in loco sacro  
depositam, quæ multabatur is qui causâ ceciderat. 2. *Fusju-  
randum*, quod sacro invocato Numine concipi solebat: Unde  
*Sacramento contendere*, est jurejurando affirmare. Apud Ec-  
clesiasticos authores, modò latiori significatu, quodlibet  
doctrinæ Christianæ mysterium seu arcanum denotat: mo-  
dò strictiore aggregatum è terreno foederalis gratiæ signo sen-  
sibili. Strictissimo autem & maximè proprio, signum a Deo  
institutum, per quod totum foedus gratiæ offertur & obigna-  
tur.

XVIII. *Sacramentum* itaque est Sacrum & visibile si-  
gnum, ad obignandum foedus gratiæ. *Sacrum & visibile*  
*dicimus signum*, quia ipsum sic in sensus externos incurrit,  
& speciatim oculis conspicitur, ut rem Deo insigniter glorio-  
sam,

3  
L  
II  
sam, ac nobis salutarem intellectui offerat, eandem, vid: quæ verbo Evangelii prædicatur.

XIX. Hujus Author necessariò est Deus, tum quia pars est cultûs & signaculum fœderis à Deo interfe, & electos vocatos, erecti. Gen. 17: 9-14. Exod. 12: 2. 11: 13. 25. 26. 27. Math. 3: 15. 28: 18. 19. 1. Cor. 11: 20. 23. 24. 25. 10: 16. Solus autem Deus partes religionis jure suo constituere potest, Ezech. 20: 18. 19. Esa. 29: 13. Jac. 4: 12. coll. cum Deut. 4: 7. 12: 32. Prov. 30: 6. Et omnis ἐθελοθρησκεία damnatur Col. 2: 23. Lev. 10: 12. Tum quia solus beneficia promissa efficaciter præstare potest, & vult: atque adeo solus eorum præstandorum certa signa ac sigilla potest instituire.

XX. Quamvis autem natura omnium Sacramentorum sit eadem, scopus & effectus idem. 1. Cor. 10: 1. 2. 3. 4. Rom. 4: 11. Quia tamen Testamentum duplex est, etiam Sacramenta accommodata diverso statui Ecclesiæ, καὶ τὴν οἰκονομίαν κατεργάζων, secundum administrationem temporum Eph. 1: 10. (ritibus & symbolis externis; significandi modo & perspicuitate; duratione & objecti amplitudine) variant. Antequam enim Christus venisset, fuerunt sacramenta promissioni & tempori prophetico convenientia. Eaque tum Extraordinaria, & hæc primò quidem fuere regenerationis & initiationis præscæ Circumcisioni, nec non Baptismati nostro respondentia, veluti, Vestura in arca per aquas diluvii & in eo conservatio ante Abrahamum 1. Petr. 3: 20. 21. Hebr. 11: 7. Transitus per sinum Arabicum & sub Nube, tempore exodi, post Abrahamum; 1. Cor. 10: 3. 4. Secundò Nutritionis, Paschati Judaico, & Cœnæ nostræ, vid: Manna Cæleste, & aqua e rupe: Tum Ordinaria Circumcisio nimirum & Pascha.

XXI Distinctionem illam Sacramentorum extraordinariorum, ostendit Paulus. 1. Cor. 10: 3. 4. denunciatis Corinthiis gloriantibus se baptizatos esse in Christum, & eucharistiæ sacramento in gratia confirmatos, eandem ultionem, quæ majoribus in solitudine contigerat, si bonis iisdem, quibus & illi, abuterentur. Primò itaque loco hæc occurrit Co-

lum-

lumna nubis & ignis, quæ mediante à primo itineris seu professionis principio, ad transitum usquè Jordanis, per integrum 40 annorum decursum per sterile, incultum atque incognitum desertum ducti sunt: & sub quâ V. T. Patres dicuntur baptizati: quæquæ erat conspicuum præsentis divinæ signum, castrametationem & stationem in universo itinere illo die & nocte commonstrans.

XXII. Columna illa nubila & ignea, ex quatuor insignioribus miraculis, quæ peregrinantes per desertum indefinenter comitabantur, haud erat postremum. Miracula illa fuere: 1. Pedum incolumitas, quòd durante 40 annorum peregrinatione nunquam intumuèrint. Deut. 8: 4. 2. Vestimentorum integritas, quòd usu illo diuturno non inveteraverint, ibid: 3. Perpetuum alimentum, quale quotidianum suppeditabat manna v. 3. 16. nec non aqua e rupe v. 15. 4. Columna mirabilis constans itineris dux interdiu & noctu, Exod. 13: 21.

XXIII. Materia illius non erat e vaporibus, ut aliarum, nequæ ad generandam pluviam apta, verum extra & supra ordinarium naturæ cursum peculiariter a Deo formata. Figuram etiam perpetuam & invariata servabat, cum aliæ singulis ferè momenti eam varient. Nubes aliæ vento, cujus ductum sequuntur, propelluntur, & eodem tempore sæpè contrariis moventur motibus, cum scil: ventus in superiore aëris regione, aliter fertur quàm in inferiore: Hæc per semetipsam movebatur, quin & in ipsis tempestatibus immota consistebat; & motus illius certus erat, & imitabilis, adeo ut populus ductum illius commodè sequi potuerit. Cujusmodi motus ut tradidimus, in nulla alia cernitur nube. Durabat per integrum 40 annorum defluxum eadem semper sibi similis; cum cæteris nubibus nihil sit volubilius, nihil inconstantius, unde etiam Nubes Jehova dicitur, Num. 14: 14. Ultimò deniquè proprietatibus pollebat planè contrariis, lucis vid: & caliginis, hinc illi nomenclatura, Columna nubis & ignis.

XXIV. Columnæ istius usus tergeminus ostenditur, Num. 14: 14. Erat enim 1. Respectu Dei signum ac symbolum

gratiosæ ipsius, nec non Christi præsentia. Quippe sic Deus nube præsentiam suam testari consueverat. v. g. quando arcum in nubibus gratia suæ symbolum esse iussit. Gen. 9: 13. 14. In nube spolia Mosi apparuit, Exod. 19: 9. In nube super Operculum propitiatorium, præsentiam suam manifestare voluit, Lev. 16: 2. In monte Christus, in nube transformari voluit coram Discipulis, Matth. 17: 2. 5. Nubes Christum è Discipulorum conspectu, cælum versus evexit, Act. 1: 9. In nubibus idem ad extremum comparebit iudicium, Thef. 4: 17. Matth. 24: 30. Erat etiam 2. Respektu populi Israëliti, tanquam fidus & constans itineris dux viam atque iter per desertum, cui insisteret, commonstrans, ad cuius sive motum sive stationem, aut castrametaretur aut subsisteret stationemque fingeret, Psal. 78: 14. Exod. 13: 21. Psalm. 105: 39. Adversus solis æstum, umbonis & umbraculi instar protexit in itinere. Psalm. 105: 39. Expandit nubem pro tegumento. Nec non fenti instar adversus hostiles insultus, *nubes* enim inter Israëlitarum & Ægyptiorum intercedebat castra, ne hostiliter concurrerent, Exod. 14: 19. Unde dicta est *Observatio Jehovæ*, Num. 9: 19.

XXV. Denique. 3. Respektu hostium, lucem proferebat Israëlitis, tenebras insequentibus offundebat Ægyptiis, Exod. 14: 20. Sic enim e Creaturis suis, tum aquam, tum nubem, tanquam iustitiæ & vindictæ suæ apparitores, in hostem armabat Dominus; prout & *nubes* & *ignis* novissimi iudicii exercitio, eis alterum Christi adventum, ministrabant.

XXVI. Sic de primo elemento baptismi extraordinarii, sequitur alterum ejusdem, *Mare nempe rubrum*, quod miraculose diffusum, sicco pede transibant Israëlita, submersis insequentibus Ægyptiis, Exod. 14: 22. Et in quo baptizati sunt Patres 1. Cor. 10:

XXVII. In unico illo stupenda contemplationis Maris Idumæi miraculo, plurima simul cerne miracula (1) Vastū, immensum, & amplum illud mare, cujus latitudo, (juxta Ptolomæi, aliorumque Geo-

Geographorum dimensionē) duodecim aut quindecim circiter leucarum erat Germanicarum, annotante Cytræo, pedi seu baculi brevis elevatione dispescitur. (2) Dominus populo suo sternit semitam, per imum maris fundum non per superficiem vulgò navigabilem, Psal. 106: 9. Nequē enim populus inambulabat mari, aut in ejus superficie, quod tanti non fuisset, cum in frigidioribus orbis regionibus, vulgare sit concretis seu glacialibus inambulare aquis, haud aliter ac terræ solidæ, soloquē calcabili, etiam marinis quamvis latis ac profundis. Quamvis etiam Omnipotentia divinæ miraculum dissimulare nemo potuisset, si mare fluidum confestim in pavimenti duritiem congelare fecisset atque consolidasset: tamen quia frigus intensius, aquas naturaliter constringat & solider, miraculum minus fuisset illustre, magisque dubium ac controversum. Deus autem, quo tanto clariùs ipsius elucesceret gloria, ejusmodi edere voluit opus, quod totius naturæ cursum & facultatem longissimè superaret.

XXVIII. (3) Aqua secus fluida, murorum instar utrinquē consistit immota: proindeque cum nihil fluida aqua difficilius coërceatur, miraculum reddidit evidentius. [4] Eodem temporis puncto idem mare tranquillum simul & æstuosum cernitur. Tantus enim Ægyptios infestabat ventorum ac tempestatum imperus, ut eorum concuteret currus; dum Israëlita, qui proximè præcedebant, tranquillè citra noxam transeunt, Exod. 14: 15. (5) Diutina vastissimæ aquæ consistentia, haud minus commendat miraculum, sive illa tot idem duraverit diebus, quod tanta hominum multitudo, cum armentis atque gregibus, nec non sarcinis & impedimentis suis, ad tot leucarum iter atque transitum prolixum flagitabat: sive unicā duntaxat nocte (prout ipse textus innuere videtur) quæ numerosum illum Israëlitarum exercitum, tam breviculo temporis spatio, tam celeriter transmiserit. Utrumquē miraculum illustrat. [6.] Idem eodem temporis momento mare vastissimum, salvos & incolumes in adversum producit litus; in

insequentes Ægyptios ad unum pariter omnes inundat, obruit, absorbet collapsis retrò fluctibus, concurrantibus utrinque procellis vers: 26. 29. Tantus hîc miraculorum concursus!

XXIX. Mare hoc Erytraum quatenus erat sacramentum, eadem beneficia Evangelica (ut & omnia Sacramenta solum Christum cum suis beneficiis) quæ nobis in baptismo Christi obsignantur, significavit & obsignavit: adeo ut, illis in illo non minus verè, minus licet clarè, ac nobis repræsentatus ac depictus fuerit Christus: meritorum ipsius veritas absque substantia, non minus illis ac nobis, licet quoad modum non nihil obscurius, exhibita. Si enim aqua baptisimi, illud Christi beneficium obsignat Fidelibus, quòd videlicet solus ipsius sanguis populum Dei a morte æterna & damnatione liberet: quid unquam clarius per aquam maris rubri, cujus beneficio Izraël à præsentissima liberatus est morte & interitu, significari & adumbrari potuit? Baptismus nobis ostendit per sanguinem Christi (quo, in mari rubro omnes verè fideles baptizantur) dari mortificationem atque sepulturam peccati (qua nimirum fideles peccato moriuntur atque sepeliuntur) nec non resurrectionem ad vitæ novitatem: Quid unquam planius per baptismum Patrum in mari rubro, quando in aquis quodammodo sepeliebantur, post resuscitabantur atque in litus educebantur, adumbrari potuit?

XXX. Sacramentum initiationis occasionale, secuta est datio nutritionis, manna videlicet cibi cælestis, Exod. 16: quod à Davide appellatur *frumentum calorum, panis fortium*, Psal. 78: 24. 25. Apostolus I. Cor. 10.: 3. vocat *ἄρτος πνευματικόν*, *escam spiritualem*, h. e. quæ habuit *πνευματικὴν δόλωσιν*, spiritualem significationem; in eo enim quasi prægustarunt eum, qui est cibus & delicia Angelorum. Christus eam *δύλωσιν* Joh. 6: 32. 48. explicat, ubi se verum illud esse *manna*, panem cælestem & vitæ ostendit, cujus pristinum illud in deserto delapsum, non nisi mera & obscura fuit umbra, Christum tantum depingens, & prædicans.

XXXI. Esca quidem illa erat ex cœli aliqua regione, sed non

Disp. III. Resp. PAULO WISCHI

non ex cœlo cœlorum, & non erat reverà esca; quia non dedit vitam, quam nequiquam habebat, quod autem non habebat aliis communicare non poterat, Joh. 6: 48. 50. Sic etiam v. 58, item 33. 35. Et manna corrumpebatur in alterum diem asservatum: *at cibus cælestis vivit, & qui ex eo edit, vivit in seculum* vers. 51. Igitur manna significabat eum, qui est vita & Izraëlis & mundi de cœlo venturum.

XXXII. Post dationem *cibi spiritualis*, secuta est datio *potûs spiritualis*, nutritionis & educationis per fidem in Christum, alterum elementum. Dedit enim ipsis bibere *ex sequente aqua spirituali*, I. Cor. 10: 4. Sequens autem petra dicitur more Judæorum, qui hyperbolica locutione, dicunt petram volutam fuisse per desertum. Significant autem fluvios ex ea defluxisse, & desertum irrigasse, Psal. 78: 15. 16.

XXXIII. Miraculosum istud facinus, quærat Sacramentum exhibens materiam cælestem non Izraëlitas duntaxat in deserto, verum & universam Izraëlis Dei Ecclesiam, per istoc mundi desertum concernit. Ideo enim Apostolus I. Cor. 10: 4. *spiritualis vocat petram*, quia spirituali significatione aliquid aliud ostendit: Eandem quam illi in isto biberunt aquam miraculo, & nos bibimus, *ibidem*. Quia in Sacra Domini cæna, spiritualis nostri potûs eadem est materia & substantia, *Sanguis videlicet Christi*, quo utriusque quotquot sunt fideles ex æquò potantur, servato tamen discrimine in modo bibendi: Disertissime denique vers. 4. *ὁ θεὸς πῖρος ἢ ὁ χεῖρος* *Petra verò illa erat Christus*, non substantialiter & re ipsâ, verum significativè & sacramentaliter seu (ut Aquinas loquitur) non per *substantiam*, sed per *significantiam*, ut pote per quam fuit Christus significatus, *qui heri & hodie & in seculum idem est*, Hebr. 13: 8.

XXXIV. Stata Judæorum Sacramenta erant *Circumcisio*, signum nempe adoptionis & receptionis in fœdus Dei: & *Pascha* idem in eodem sustentationis, nutritionis atque educationis

educationis. *Circumcisio* sacer erat ritus a Deo præceptus & institutus, quo, præputii masculini resectione, initum cum Abrahamo Dei foedus, eidem, nec non universæ illius ob-signabatur posteritati. *Sacer erat ritus*, utpote ab ipsomet Deo institutus, Gen. 17: 12. 13. 14. ut quem ab ipsomet traditum accepit Abrahamus, Rom. 4: 11. Solius enim illius, qui & promittere, & potest præstare gratiam, est obsignare foedus.

XXXV. Ex lege Dei debebat peragi, in universo Israëlitarum sexu masculino, posteritatis Abrahamiticæ, idquæ octavo die: quia Deus ut peculiarem tenellæ ætatis rationem habebat, ita tenerior infans, citius id pati non poterat; quilibet etiam sive humanus, sive pecuinus fœtus ad octavum usquæ diem legaliter erat immundus in sanguine suo; adeoque nullam ante octavum diem pecudem Domino offerre fas erat, Exod. 13: 19. 34: 26. Nequæ ullus adventitius, exoticus, sive servus sive liber ante octavum ab adventu diem, circumcidebatur: & in mysterium resurrectionis Christi, quæ etiam in octavum incidit diem, perquam omnis nostra pravitas abolitur. Abrahamitica enim posteritas circumcissione, ab omnibus ac singulis terræ nationibus, erat discriminanda, Gen. 17: (unde gentiles præputii, Judæi *Circumcisionis* sæpè nomine exprimuntur, Rom. 1: 26. Gal. 2: 7) cujus adeo carnî, foedus Dei quasi insculperetur. Erat etiam regenerationis organum, prout mandatur Israëlitis, ut circumcidant præputium cordis sui, Deut. 10: 16. & ipsis hoc promittitur. 30: 6.

XXXVI. Nequæ tamen è foedere gratiæ, sexus excluderetur foemineus, qui sub masculî circumcissione comprehendatur, Gen. 34: Sic enim imbecilliori Deo parcere voluit sexui, cui vel ipsa è parente circumciso natiuitas, ad immatriculationem in Album Abrahamicum, abundè sufficiebat. Et cum peculiarem Christi typum atquæ similitudinem gerant mares in ordine ad foeminas, 1. Cor. 11: 3. eos quoquæ (ceu aptum

aptum circumcissionis subjectum) ipsas circumcissionis ceremonias atquæ ritus, foeminas interim illius duntaxat virtutem & efficaciam, capere par erat.

XXXVII. *Sacramenti* illius signum externum fuit præputium tum resecandum, tum resectum, Gen. 17: 11. 13. Res significata infitio foederi, & sanctificatio merito ac sanguine Christi: quare nec sine sanguine, nec sine dolore, & cum nominis impositione peragebatur: quamquam & id suam habuit *χέρον* legalem ad significandam hominis corruptionem, & quod statim ac natus esset, dignus fuerit morte. Convenienter autem ea parte fiebat, tum ad labem originalem, quæ generatione propagatur, connotandam, tum ad regenerationem significandam. Ejus necessitas sic urgetur sub gravissima pœna, Gen. 17: 14, ut nec absoluta fuerit; cum Deus dispensaverit ab hac lege Israëlitis in deserto; nec extendenda ultra illius contemptores, quod liquet etiam ex Exod. 4: 24. *ubi occurrit Jehova Moysi in diversorio quodam, quærens morte afficere eum* (ob filium suum non circumcisum) non ipsum infantem, in quem negligentia istius culpa cadere non poterat.

XXXVIII. Christus etiam voluit circumcidi, ut & baptizari, non ut reus, sed ut Caput & Princeps salutis reis datus, quo sacramentum utrumquæ initiale in se consecraret, suo præputio, nostra absumeret, se pro nobis factum esse peccatum, ostenderet; (Secus enim symbola, quibus expiatio peccatorum significatur, suscipere non potuisset: quippe justus: nec ligno suspendi potuisset, nam excerationi est Deo suspensus) vitæ cursum a doloribus inciperet; se ad legem pro nobis servandam solemniter obstringeret; se etiam Patrum V. T. Servatorem esse, & pro illis quoquæ Sanguinem fundere voluisse testaretur; Sacramentorum usum nobis commendaret, & suo exemplo ad observationem disciplinæ à Deo præscriptæ invitaret & adduceret.

XXXIX. Lex Circumcissionis, ut & omnium ceremoniarum Leviticarum, tria habuit tempora; Nam *viva* fuit usquæ

mortem Christi, quâ omnes ceremonias inutiles reddidit; *mortua* post illius ascensionem, licet ea ipsa etiam honestè sepe-  
lienda; quod Paulus testatus est circumcidendo Timotheum; *filium mulieris Judææ fidelis, Patris autem Græci*, Act. 16: 2. *Mortifera* planè post evangelium sufficienter confirmatum, Gal. 5: 2. 3. Seu post everisionem templi secundi à Tito Vespasiano, in qua & cum qua, ut umbram, ita & hanc Deus manu suâ cessare fecit, quandò ipsum centrum & basin cum tota *Ægyptiæ* hujus & illarum delevit & excidio isto ultimatè sepe-  
livit. Stante igitur templo, ceremoniæ à Judæis debuerunt observari, in Legislatoris reverentiam, nec poterant gentibus imponi, ut pote quibus Deus eas non tulerat. Debuerunt tamen & gentes id honoris & reverentiæ Divinæ, legi Sacrificiorum nondum sublata, ut abstinerent sanguine, quem Deus aræ suæ proprium & penitus sacrum esse jusserat, Lev. 7: donec templum staret. Huc spectat decretum concilii Aposto-  
lici, de sanguine & suffocato, Act. 15: 20. 29.

XL. Alterum Judæorum *Sacramentum* Ordinarium erat *Pascha* institutum a Dèo, Exod. 12: 1. 2. &c. cujus *signum* erat agnus vel hœdus mactandus ante vesperam diei decimæ quartæ, mensis in quo fruges inarescebant; cui nomen a transitu Angeli per Ægyptum, inditum erat. *Res significata* Christus, qui inde dicitur *Pascha nostrum pro nobis immolatum*, 1. Cor. 5: 7. cujus sanguine si resperæ fuerint animæ nostræ, immunes erunt a gladio destructoris. Renovabatur autem quotannis partim ut posterius acceptorum beneficiorum communefierent, partim ut ad majorem beneficiorum expectationem excitarentur.

XLI. Circa *agni illius delectum*, mactationem, præparationem, & manducationem (sic tamen ut quidam ritus, peculiare fuerint primo paschati in Ægypto, ut quòd ædium postes fuerint respergendi ejus sanguine, & eum Israëlitz manducare debuerint stando, accinæti, calceati, scipionibus suis nixi, & planè festini) multa occurrunt mysteria Christi, & nostræ cum illo communionis significativa. Nam (1) *integer* absquè

absquè vitio & defectu eligi debebat, Exod. 12: 5. ad notandam consummatissimam Christi perfectionem, 1. Pet. 1: 19. Secus enim ipsius *λύτρον* fuisset mutilum: & cum qui aliis fieri debebat justitia, perfectè justum esse oportebat, 1. Cor. 5: 21. (2) *Masculus* ad notandum illius officium. Debebat esse Ecclesiæ Rex, sacerdos ac Propheta, quæ singula requirebant hominem masculum: Et ad significandam Christi excellentiam, robur, dignitatem, quæ isti competunt potissimum sexui. (3) Ex proprio ovium aut hœdorum grege, ut Moses ad Pharahonem dicit, Exod. 10: 25. Ut notaretur Christum fore Israëlitam, in populi illius, qui Dei peculium, censu. Oportebat enim illum ex Abrahami prognasci semine, uti salus ex Judæis esset, Joh. 4: 22. Quin ipsa lex divina, Regem è fratribus electum volebat, Deut. 17: 15. Quandò magis Ecclesiæ Regem, qui regum omnium Rex esset, 1. Tim. 6: 15. Apoc. 19: 16.

XLII. (4) *Agnus Paschalis inter duas mactandus erat vespere*, vers. 6. 1. Ut ea temporis circumstantia Judæis admirandæ liberationis, quæ in vesperam inciderat, memoriam reficaret. 2. Ut agnum nostrum Paschalem cis mundi vesperam. h. e. in seculorum consummatione, mactandum innueret, Hebr. 9: 26. 3. Ut *Christi sacrificium*, in vespertinorum sacrificiorum quæ quotidie offerebantur, tempore successurum, Exod. 29: 41. adeoque illorum finem impositurum ostenderet, Dan. 12: 11. 4. Ut vel ipsam passionis Christi in cruce horam, non minus ac diem indigaret. Nam ut sub quarta diei parte mactabatur, agnus, cui præparando, aptando & assando, quicquid temporis reliquum (quod satis exiguum) impendebatur: haud aliter verus Agnus Paschalis eodem ipso, quo agnis mysticus, die mactandus erat. Christus enim cis horam tertiam (juxta computum Judaicum) vid: pomeridianam, inter duas vespere, *valido cum clamore emittebat Spiritum*, Matth. 27: 50. (5) Esus agni significabat receptionem Mediatoris per fidem, & communionem quam fideles habent cum ipso ad vitam. Hinc mors Mediatoris,

ris, ipsorum mors reputatur: quemadmodum typicè agni mortificatio, videbatur proprii corporis mortificatio. Cibus enim cuiusque pro corpore ipsius substituitur, cum cibus concorporetur edenti. Multi etiam comedebant de uno, ut intelligerent multos fieri in uno, unum, & unum esse iustitiam ac vitam multorum, 1. Cor. 10: 17. Si quando agno integrè consummendo una non sufficeret familia, vicinos iusto numero fas erat accersi ad duodenarium circiter convivarum Christi paschaliū numerum, quo indicabatur etiam gentes aliquando Evangelii præconio, ad agni Dei, Christi nimirum participationem, nec non ejusdem cum Izraelitis agni paschalis communionem atque fruitionem accersendas, ut ipse Christus convivii parabolâ ostendit, Luc. 14: 23.

XLIII. Pascha etsi simillimum sacrificio concedamus, tamen propriè dictum fuisse negamus. Non enim in altari, nec in tabernaculo aut templo, nequè per Sacerdotem mactabatur, saltem in prima illius institutione, cum fuerit institutum priusquam Sacerdotale munus, Leviticè tribui esset assignatum: Nec deniquè quicquam ex agno Paschali Deo cessit, cum totus ab Ecclesia seu familia consummebatur: Agnus etiam mactabatur in Ægypto, ubi, (teste Mose, Exod. 8: 26.) non erat fas sacrificare. Christus pascha θανάσιμον, sive quartum, sive quintum fuerit à suo baptismo, celebravit uno die citius quam Judæi, quicquid Toletus, Baronius & alii cum ipsis sentiant: Etenim sexta feria, quâ Christus fuit crucifixus, Parasceve dicitur ad Sabbathum illud magnum, cum quo Paschatis Judaica solemnitas incidebat, Marc. 15: 42. Luc. 23: 54. Quare detrahebant Judæi introire in pratorium, ne polluerentur, sed ut ederent Pascha, Joh. 18: 28.

XLIV. Expositis Sacramentis: sequitur Sacrificium, quod etiam ante legis Ceremonialis promulgationem (ut & alia quædam instituta ceremonialia veluti distinctio animalium mundorum & immundorum, Gen. 7: 2. inserviens sacrificiis, & etiam sanctificationem adumbrans: *Præ primogenitura*, cui annexa

annexa sacrorum cura, Gen. 4: 7. 25: 31-34. 27: 36. Cum Exod. 4: 22. 23. Primogeniti enim jus habebant sacra quædam administrandi, ut ministri ordinarii, secundum illam directionem, quam accipiebant a Prophetis: atque ipsum quoque Sacerdotium aliquamdiu ante Leviticum, Gen. 14: 18. ) obtinuit, utpote Cain de frugibus terræ, & Abelis de primogenitis, & eximiis pecudum suarum Gen. 4: 3. 4. 5. Heb. 11: 4. Item Noachi statim post diluvium, Gen. 8: 20. cum Eph. 5: 2. Similiter Abrahamus in peregrinationibus suis altaria extruxit Gen. 12: 7. 8. 13: 14. 18. Memorabile autem fuit præ cæteris sacrificium filii ejus unici Isach, divinitus mandatum, ab ipso inchoatum, sed ariete vicario consummatum, 22: 1. 14. Deinde Isachus quoque legitur altaria extruxisse, 26: 25. ut & Jacobus, 33: 20. Atque item Job in terra Hurzi, qui filios suos post eorum convivia sanctificavit, ac pro numero eorum holocausta obtulit, Job. 1: 5. Et postea ipse Deus Eliphazum Themanitem, Cap. 42: 7. 8. alloquitur: *Accensa est ira mea in te &c.* Sic Deus offensus, sed idem placabilis, placari voluit sacrificio, precibus comitato; atque hoc medium satisfactionis & reconciliationis typicæ, intercedere ad eorum liberationem a pœna.

XLV. Sacrificium est medium primarium Deum colendi, quo illud, quod est præstantissimum in usu & esu humano, in ara, in Dei honorem offertur, ad significandum illud unicum sacrificium Christi, (sive passionis & mortis, Eph. 5: 2. Heb. 9: 13. 14.) quod in cruce peregit. Differt à Sacramento; quia in hoc omnia salutaria largitur nobis Deus in Christo; in illo nos Deo per Christum nostra exhibemus ac sistimus officia: in hoc est & significatio, & obsecratio; Cum in illo fuerit tantum significatio.

XLVI. Sacrificium erat ἱλαστικόν propitiatorium seu expiatorium (ita dictum metonymicè; eo quod signum esset veri & proprii expiatorii sacrificii) aut ἱχλαστικόν. Illud erat mactatio animalium a Deo mandata, ad carnalem peccatorum expiatio-

expiationem in foro illo civili, Lev. 5: 5. 13. Heb. 9: 13. Qua expiatorium imprimis *Messia* sacrificium significabatur, 1. Joh. 2: 2. Eph. 5: 2. Hebr. 9: 22. Hoc erat omnis generis oblatio, animalium, frumentorum, farinae, olei &c. Quae testabantur se omnia quae habebant, Deo accepta ferre & paratos esse vicissim in ipsius gloriam impendere, quomodo & nos omnia nostra grato animo ipsi debemus offerre, Hos. 14: 3. Heb. 13: 15. Hoc quoque adumbrabantur beneficia mortis *Messiae* venturi. Exod. 24: 8. Lev. 3: 1. Et quod nostra opera bona non placeant Deo, nisi in sanguine Christi. Ex illo nihil participabant offerentes, quo significatum fuit propitiationem pro peccatis nostris, soli Christo, Sacerdoti nostro convenire: pars autem sacrificii Eucharistici, cedebat offerentibus, quam comedebant in arrio Sacerdotum in conspectu Dei, quo significata fuit gratia & laetitia, quae fidelibus in Christo communicatur.

XLVII. Sacrificium propitiatorium, offerebatur aut pro omnibus peccatis, ut  $\text{זול}$  holocaustum seu holocaustum quae totius victimae combustionem peragebantur, Lev. 7: 3. 12. 6: 9. 10. 11. aut pro certis tantum, vid: & pro  $\text{חטאת}$  peccato, ex errore aut ignorantia commisso, Lev. 4: 2. 3. & pro  $\text{עוון}$  reatu, quo expiatur peccatum scienter quidem, sed ex infirmitate commissum, Lev. 6: & 7:  $\text{זול}$  aliud erat aut iuge & perpetuum, quod quotidie peragebatur duobus ignibus, quorum alter mane, alter inter duas vespas offerebatur, Exod. 29: 35. &c. Aliud, statum quod diebus stans oblatum fuit, idque vel singulis sabbathis, unde *Sabbathinum*; vel singulis noviluniis, unde *menstruum*; vel quotannis offerebatur, Lev. 3: Num. 28. Unde *anniversarium*, dicebatur.

XLVIII. Cum autem typicae expiationis finis fuerit (ut & realis, expiare conscientias ad serviendum Deo viventi, & habitanti in sanctuario non manufacto, Heb. 9: 13. 13.) communicatio cum populo Dei, in cultu externo, mirum non debet videri, si nullum sacrificii genus peculiare, de homicidio,

Disp. IV. Resp. PAULO WISCHI  
dio, adulterio, aut simili, capitali crimine luendo, institutum esse legamus. Nam finis sacrificii, in talibus delinquentibus, cessavit, cum (secundum legem) amplius inter vivos manere non poterant, adeoque nec cultui externo communicare.

XLIX. Neque tamen (ex Socini mente) sequitur sacrificia V. T. non fuisse typos sacrificii Christi, eo quod in sacrificiis *Mosaicis* (ex nostra sententia) nulla fuit satisfactio, quae in Christi esse dicitur: & quod sacrificia V. T. pro ignorantibus tantum, & levioribus peccatis fuerint ordinata, Christi vero pro omnibus Heb. 9: 7. Nam qualis fuit expiatio in sacrificiis *Leviticis*, talis quoque in iisdem fuit satisfactio; nempe *Ceremonialis* & *representativa*. Peccata propter venturi *Messiae* sacrificium, & satisfactionem, fuerunt expiata & remissa, eam tamen lege, ut per illa legalia sacrificia, representaretur populo Dei, vere expiatorium *Messiae* sacrificium, in plenitudine temporis offerendum: uti idem etiam oblatum, per symbola sacramentalia significatur & obsignatur. Ut enim symbolis sacramentalibus, tribuuntur effecta & nominatarum signatarum; quia sunt signa & sigilla earum nobis collatarum, aut conferendarum, easque nobis praesentes, ob oculos sistunt: ita & sacrificiis legalibus, tribuntur expiandi peccata effectus: Utque contemptus sacramentorum, etsi peccata per & propter ea non remittantur, tamen damnabilis est; sic & contemptus sacrificiorum erat damnabilis, etsi non propter ipsa tanquam typos, & umbras, sed propter exhibendi *Messiae* sacrificium, tanquam *antitypum* & corpus, peccata fidelibus V. T. fuerunt condonata. Olim quodque sacrificia fuerunt oblata non pro levioribus tantum: quia Lev. 16: 16. praecipitur ut fiant expiationes, 1. pro  $\text{אונן}$  immundities, quae vox Lev. 18: 24. pollutiones libidinosas Canaanorum, & Ezech. 9: 7. homicidium, significat. 2. pro  $\text{עוון}$  defectionibus, qua voce 1. Reg. 12: 19. pertinacissima rebellio exponitur. 3. pro  $\text{חטאת}$  peccatis, quam vocem adhibuit S. Sanctus, in describenda idololatria vituli,

Ezech. 43:22. itemquè exaggeratione peccatorum, propter quæ populus in captivitatem Babylonicam, fuit abductus, Thren. 1: 8. Et Lev. 16:21. In sacrificio anniversario solemni dicitur sacerdos confessorus omnes iniquitates filiorum Israël. *ניאיו --- 52 --- תע*

L. Nec Apostolus, in loco Heb. 9:7. ipsi quicquam patrocinator, dum manifestè mentionem facit *ἀγνοημάτων* ignorantiarum, errorum. Hanc enim etiam vocem usurpavit de gravissimis sceleribus, docebunt hæc loca: Act. 3: 17. Judæi dicuntur *κατ' ἀγνοίαν* per ignorantiam Christum interfecisse: at hoc peccatum Judæorum fuit atrocissimum. Act. 13:27. dicuntur ii qui habitant Hierosolymis *ἀγνοήσαντες* Christum damnando, implevisse voces Prophetarum; quis autem leviculum hunc esse errorem asserat? Paulus de se, qui blasphemiam & persecutionibus peccavit, ait 1. Timo. 1: 13. quod ea *ἀγνοησὼν ἐποίησε ἐν ἀπιστίᾳ* ignorans fecerit in infidelitate. Sic 2. Pet. 2: 10. illi qui carnem sequuntur, qui in impura cupiditate incedunt, qui Magistratum probris incessunt, quæ certè peccata sunt gravissima vers. 12. dicuntur *ἐν οἰ ἀγνοήμασι* *ἐλασθημεν* qua ignorant calumniari. Deniquè rectè Apostolus omnia peccata, etiam gravissima, vocat *ἀγνοήματα* ignorantias, cum in omni peccato sit ignorantia, etsi non *thetica* saltem *hypothetica*; alioqui enim & intellectus ferretur in falsum sub ratione falsi, & voluntas in malum sub ratione mali. Sic fur in thesi non ignorat furari esse malum: homicida innocenti sanguine manus polluere; ignorat tamen id sibi esse malum; existimat enim ex istoc furto, vel homicidio ad se aliquid boni redundare.

LI. Protervè etiam idem *Socius*, victimas legales verè expiassè peccata populi Israëlitiçi asserit, manifestè contra Apostolum dicentem, *Sacrificia* illa non sanctificare conscientias cultorum, Heb. 9: 9. hostias legales quotannis iteratas non consummare *τὰς προσερχομένων* accedentes, Heb. 10: 1. Sanguinem hircorum aut taurorum, peccata auferre non potuisse, vers. 4. Hostia enim semel perficientes, frustra iterantur

&

& offerri desinunt. Deus etiam disertè testatur sacrificia & oblationes *per se* sibi gratas non fuisse, Psal. 50: 8. 9. &c. Mich. 6: 6. 7. 8. imò noluit, imò rejecit, Heb. 10: 5. ex Psal. 40: 7. &c. Et fideles illius *αἰν*, illis non tam expiabant, Heb. 9: & 10: quàm peccata confitebantur & se mortis reos fatebantur quod effuso animalium sanguine agnoscebant. Hinc Paulus Colof. 2: 14. ritus sacrificiorum vocat *Chyrographum adversus peccatum*. Leges enim ceremoniales detegebant impuritatem hominis, quam Christus morte delevit, & offerentes testabantur esse peccatores. Nequè plures vel mille vicibus iteratæ id potuerunt. Apostolus enim, ut ex *singularitate* oblationis Christi perfectionem ejus solidè concludit, Hebr. 10: 12. cum illum unâ *pro peccatis nostris* oblatâ in perpetuum victimâ, *consedere* dicit ad dextram Dei, illos autem *adsistere*, quotidie sacro ministerio defungentes vers. 11. *stare* autem est signum ministracionis, ut *sedere* dominationis: ita ex *frequentatione* hostiarum legalium, non efficaciam, sed infirmitatem earum apertè conficit vers. 1. 2. Et quamvis clavum, quem si ictus unus non satis impulerit, sæpius iterati, impellere possunt; non tamen victimæ legales identidem repetitæ, ita expiationem peccatorum assecutæ sunt. Illorum enim effectus est externus, & violentus, cum harum internus, spiritualis & non violentus esse debuerit: Et valent illi ex opere (ut loquuntur) operato, quia vis major impellit minorem, & continuum solvit; cum in harum effectum nihil tale fuerit. Nequè enim ex opere operato valere poterant, quia sanguis hircorum & taurorum peccata expiare *vers. 4.* non valuit.

LII. *Eucharisticum* sacrificium erat, quod gratitudinis testificandæ nomine offerebatur. Hoc peragebatur aut *solis munusculis*, quod dicebatur *libatio*, *הקדש*, *munus*, in quo cibi, sal, thus &c. offerebantur quorum pars sacerdoti cedebat, reliquum adolebatur; aut *adhibiti etiam animalibus*, quod dicebatur

D 2

cebatur

cebatur & **חֹלֶבֶת שְׁלֵמִים** *hostia pacificorum* (ita dicta quòd faciat pacem in mundo, quia per eam est pax altari, sacerdoti & iis, quorum est victima) in quo sola pinguedo victimarum incendebatur; reliquum manebat iis quorum erat victima; & **חֹלֶבֶת תּוֹרָה** *sacrificium laudis*, ubi & pecudes mactabantur, & libamenta ad celebrandas Jehovæ laudes, immolabantur, quam Apostolus Hebr. 13: ex Hof. 14: appellat *virulos labiorum*. Edebant autem sacerdotes, ut de munere, ita de victimis peccati & reatus, Lev. 6: 9. 10. 19. 7: 6. quo significarent se statutos esse pro fratribus ad Deum, ut imputatis eis peccata populi, expiarent ea, Lev. 10: 17. Aliter enim intelligi non potest sacerdotem *ferre peccata populi & expiare*. Vel sacerdos debuit comedere partem victimæ ut (scilicet) in communionem altaris veniret, h. e. ut id quod adolebatur, tanquam de substantia ejus sublatum videretur. Figura enim de bebat significare Christum portantem peccata fratrum suorum, corpus suum oblaturum. Quod quis comedit naturaliter in substantiam corporis vertit. Ejus quod corpori humano nutriendo destinatum est, oblatio & partim combustio partim commestio, corporis sui traditionem in sacrificium, aptissimè significat. Eadem etiam ratione partem suam capiebant de sacrificiis **חֹלֶבֶת שְׁלֵמִים** *eucharisticis* sive *pacificis*, Lev. 7: & reliquum comedebant offerentes, ut postquam per sacerdotem expiati essent, in communionem altaris ipsi quoque venirent, seu ut de acceptione oblationis corporis sui, certiores fierent, docentes manifestè solius æterni Sacerdotis esse corpore suo peccata expiare, expiatorum verò vivam hostiam sua corpora in laudem Deo, gratiarum actionis causâ consecrare.

LIII. Consecrationi *sacrificiorum*, præter ipsum altare, de quo Exod. 29: 37. Math. 23: 19. inserviebant quoque *ignis & sal*, Marc. 9: 49. Lev. 2: 13. Ille ut S. sanctum ad umbrabat, Math. 3: 11. Act. 2: 3, ita & passiones iræ divinæ, quas Mediator pro nobis tulit, Marc. 9: 43. 44. Esa. 53: 4.

S. 10.

5. 10. Hic perpetuitatem fæderis. Marc. 9: 47. 49. 50. Num. 18: 19. *Suffitus sacer*, cujus confectio. Exod. 30: 34. 35. Ejus usus erat, ut Sacerdos ex eo contunderet minutim, poneretque super thymiaterium vers. 36. additâ lege, ne similem suffitum ad usum privatum sibi pararet, e populo cæteroquin excidendus. vers. 37. 38. Sic intercessio Christi, & fervidæ fidelium preces in ipsius nomine, adumbrabantur, Psal. 41: 2. Apoc. 5: 8.

LIV. Inserviebat etiam *oleum sacrum*, cujus usus erat ad tabernaculum integrum &c. Exod. 30: 25. 30. additâ simili lege, ut in suffitu, & pari sanctione comminatoriâ vers. 31. 32. 33. Hoc pacto figurabantur præstantissima S sancti dona, quibus Christus in humana sua natura, & singuli fideles, atque omnia ad ipsos pertinentia, Deo sanctificantur in honorem ipsius. Heb. 1: 9. 1. Joh. 2: 20. 27. *Aqua expiationis*, quâ separati ex immunditia & peccato, purgabantur carnaliter. Num. 19: 9. *Lucerna septem* in candelabro aureo, instruendæ quovis manè oleo olivarum extuso puro, & accendendæ singulis vespers, ut per noctem essent luminaria in atrio conventûs, Exod. 25: 31. 37. 27: 20. 21. Lev. 24: 2. 3. 4. quibus illuminatio per verbum & spiritum figurabatur. 2. Pet. 1: 19. 21. Eph. 5: 8.

LV. *Tubaetiam* erant *duæ argenteæ*, ut Sacerdotes earum clangore cœtum convocarent, lætitiâ celebrarent, vel etiam profektionem castrorum imperarent, Num. 20: 2. Sic clangor verbi spiritu comitati, ejusque virtus in colligenda Ecclesia, lætis annunciandis, peccatis arguendis, & fidelibus ad spiritualem pugnam incitandis, adumbrabatur, Esa. 58: 1. Eph. 6: 18. Psal. 89: 16. Fuere etiam ultimò ex præscripto ipsius Dei, sacerdotibus *Cibi sacri* destinati: sanctissimi quidem eorum, solis maribus comedendi permittebantur in atrio conventûs; alii etiam familiis eorum. Sanctissimæ erant reliquiæ ex sacrificiis pro peccato, quorum sanguis non portabatur in sanctuarium; atque ex muneribus eorum, Lev.

D 3

7: 6-10.

7: 6-10. 8: 16-18. 25. 26. 8: 31. 32. Similiter illis dati erant panes'propositionis, 24: 5-9. Hæc ratione figurabatur virtus Christi conservatrix & nutrix vitæ spiritualis in electis, Prov. 9: 2. 5. Psal. 22: 1. 5. Joh. 6: 32. 35. 48. 50. 51.

LVI. Succedunt ex ordine Media *secundaria*, quibus mediantibus *primaria* illa ritè tractabantur & exercebantur, *Loca* nimirum & *Tempora Sacra*. De *Locis* generatim vidè Exod. 20: 24. Lev. 17: 2-9. Deut. 12: 5. 14: 33. Speciatim verò jussu Dei ad peragendum cultum sacrum, destinatum fuit primò *Tabernaculum*, post exodum. Nam ante illum, Patriarchæ illum, in quo divina vis augustiùs apparuerat, pro sacro habuerunt ad cultum, Gen. 28: 16. 17. *Quàm terribilis est locus iste.* &c. Exod. 3: 5. *Ne appropinques huc: extrahere calceamenta tua a pedibus tuis, nam locus in quo stas, terra sancta est; Ubi altaria exstruebant sacrificiaquè offerebant, in quacunque regione essent: sic & post illum, Josu. 6: 3. Item propria cujusquè domus. Illic enim erat Locus sacer, ubi Ecclesia & familia coluit Deum. Et deinde secundò *Templum* sedes habitationis & cultus divini, a Salamone Rege pacifico, Hierosolymis in Moria, ubi fuerat area Ornanis Jebusæi, exstructa, 2. Chro. 36: 14. 1. Chro. 21: 22. 26-28. Extra hæc duo loca altaria exstrui, & sacrificia offerri ordinariè post modum Deus vetuit, Lev. 17: 1-9. Deut. 12: à 2. ad 15. quanquam extra ordinem permiserit, ut extra tabernaculum, exemplo veterum Patrum sacrificarent usquè ad templi Hierosolymitani exstructionem.*

LVII. *Tabernaculum* illud Mosaicum erat templum quoddam portatile, ex lignis & pellibus animalium ære, auro & argento confectum, ut ad illud conveniret populus, seu Ecclesia Dei, ibiquè Deum coleret & invocaret. Et quia Izraëlitæ in tabernaculis degebant, cum essent viatores & milites, ambulatoriâ existente ipsorum Republicâ; Deus quoquè ut se ex ineffabili benevolentia populo suo accommodaret (cujus erat ductor) voluit & sibi ædificari *Tabernaculum*, inquè me-

dio sui populi collocari, in quo habitaret gratiosè.

LVIII. *Tabernaculi* istius pro ratione peregrinantium in deserto, mobilis & terrestris; (cui & ejusdem generis cultus pro illo tempore inserviebat, Joh. 4: 24. Heb. 9: 1.) conditionem peregrinantis in hisce terris Ecclesiæ; immobile & cœleste istud sanctuarium profigurantis, Exod. 25: 8. Heb. 9: 1. nec non Christum ipsum, qui assumprâ humanâ naturâ velut tabernaculo, in medio Ecclesiæ habiturus erat, Heb. 9: 11. duæ potissimum partes externæ sunt spectandæ, *Tegumentum* vid: & *Tabulatum*. Illud ordinatum erat ad interna regenda & protegenda, Exod. 26: 14. 27: 9. Quomodo etiam Deus Ecclesiam suam, & singula ejus membra perpetuò protegit, Esa. 4: 5. 6. Psal. 27: 5. *Hoc* constabat asscribus & transtilis, cum suis stylobatis & annulis, Exod. 26: 15. Quâ artificiosâ coagmentatione, Ecclesia, per commissuras & compages suas congruenter unita cum Christo capite suo per spiritum intus agente, Eph. 4: 12-16. 3: 16. figurabatur.

LIX. Totidem *Tabernaculum* hoc, gloriâ Dei decoratum, atquè interdium nube, nocte, igne opertum, Exod. 40: 33. 34. partibus secundum Apostolum Heb. 9: quâ sub tecto distinctum erat; *sancto* nimirum & *sancto sanctorum*, velo, opere artificioso confecto, Cherubinis referto, atquè ex quatuor columnis ligneis, sed auro obductis suspensio, separato. Sanctum sanctorum intra velum ubi cultus anniversarius unus, a solo Pontifice semel quotannis illud ingrediente cum sanguine peragebatur, Exod. 26: 33. 34. Heb. 9: 3. 7. præfiguransquè cælum ipsum, in quod Christus semel nostro bono ingressus est vers. 11. 12: 24. 25. habebat (1) Præsentia Dei symbolum *Arcam* nimirum *foederis*, in medio sanctuario positam, cui intus impositæ erant, *Tabula Testamenti*, *urna aurea* habens in se occultam *manna*, & *vinga Aaronis* quæ germinaverat, Exod. 25: 17. 26: 33. 34. Heb. 9: 4. Immissum supernè, *arcæ*, (2) *Operculum aureum*, vocatum כַּפֹּת הָאֲרֹן *propitiatorium*, Christum repræsentans, cum in ipso solo propitiatur Deus, Rom. 3:

25. Hoc insuper inumbrantes (3) *Cherubinos gloria*, quasi species duorum Angelorum, ad significanda eorum ministeria, quibus Deo semper præsto sunt: & Ecclesiam electam, redemptam & sanctificatam. Animalium enim formæ, quæ Cherub componunt, virtutes sanctificatorum notant. *Τό λογικόν* & *sapientiam* forma humana: tollerantiam bos: Ut & pedes bifulci cum *Μηγουσίω* sive ruminacione, notat constantiam cum meditatione, atque ita non temerariam; Leo notat fortitudinem &c. Exod. 25: 18. 20. E medio horum Deus Mosen peculiariter alloquebatur, vers. 22. Num. 7: 89. nam communiter etiam in tentorio conventus, Lev. 1: 1. Nec non (4) *Thurribulum aureum*, seu potius *Altare Thymiamatum* (cujus figura, Exod. 30: 1.) Heb. 9: 4. Lev. 16: 12. 13. interserviens suffitui faciendo in primo aditu sanctuarii post velum, ante arcam, Exod. 30: 6.

LX. Nec Paulo Heb. 9: 4. asserenti tria fuisse in arca illa fœderis nimirum *urnam auream continentem manna*, *virgam Aaronis qua germinaverat* & *tabulas illas pacti*, quicquam contrariatur locus. 1. Reg. 8: 9. 2. Chro. 5: 10. negans *quicquam aliud fuisse in ea præter legis tabulas*. Nam præterquamquod, in hoc nominentur saltem principalia, *tabula nimirum legis*, reticeantur minus principalia, quæ tamen & ipsa fuerunt in arca reposita, id referente Apostolo, loco citato, *arca* nomen cum scriptura dupliciter capi potest, vel *strictè* pro interiori parte & quasi ventre ejus, quomodo nihil nisi *duas tabulas* continuit: vel *latius* pro toto corpore, quod etiam cellulas includit, seu capsulas & receptacula lateralia, quomodo & *vasculum manna* complexa est, & *virgam Aaronis*. Fuisse autem ejusmodi receptacula lateralia in arca, patet ex Deut. 31: 26. Ubi liber legis poni jubetur *a latere arca fœderis* & 1. Sam. 6: 8. Ubi instrumenta aurea, quæ reddiderunt Pelischthæi *Deo Izraëli* in reatum, dicuntur reponi *in capsula a latere arca*. Nec est, quod quis regerat, baculum sive virgam Aaronis, non potuisse reponi in arcam, eo quod hæc tantum fuerit *longa* duorum cubitorum

Disp. V. Resp. PAULO WISCHI

bitorum cum dimidio, *lata* sesquicubiti, similiterque *alia* sesquicubiti, Exod. 25: 10. virga autem ut pote (foran) *victoria*, longitudinem istius excesserit. Nam & virgam illam fuisse tantam, tantæ longitudinis (ut & alias undecim familiarum principum, quas contulerant ad illam Sacerdotis maximi electionem) ut nomen Aaronis pro familia Levi inscribi potuerit, ad dignoscendum an sacerdotium illius futurum esset, patet ex Num. 17:

LXI. Sunt nonnulli qui minus scitè ex fabrica *Cherubinarum*, statuarum & imaginum usum in templis, probare velent. Verùm hæc ratione, propitiatorium ipsum, & arcam, & Thurribulum, & tabernaculum, totumque cultum Leviticum, quæ in templis judæorum conjunctim adesse debebant, in templa Christianorum invehere coguntur. Nec figura illa *Cherubini* vid: in propatulo & conspectu omnium; sed in loco secretiore, & promiscuæ plebi inaccessibili, in timo scilicet: templi adyto (unde scandalum ex illis nullum esse poterat) positæ erant. Nequè ad adorandum, sed ad adumbrandum incomprehensibilitatem Dei; Ecclesiæ statum esse sub umbris: Angelorum desiderium intro spiciendi in mysterium incarnationis, 1. Petr. 1: 12.

LXII. Velum etiam illud. (cujus structura Lev. 26: 31.) tabernaculi ostium sacrarii tegens: anterius & posterius tabernaculum in medium dividens: & sacerdotes a conspectu atque ingressu sanctuarii arcens, ut significabat mysteria regni cælorum, Umbris in V. T. fuisse tecta; 2. Cor. 3: 4. Judæorum a gentibus seperationem: ita & carnem Christi, referente Paulo Heb. 10: 19. 20. figurabat, sub qua, quasi sub velo Divinitas ejus latuit: Nec non cælum ipsum sacrario adumbratum ipsis quodammodo fuisse clausum. Nam ut via ad sanctum sanctorum in via & inaccessa erat stante velo: ita consistente priori tabernaculo, Heb. 9: 8. *nondum manifesta erat illa via ad sacrarium*, quam Christus nobis suo sanguine plenissime

simè & luculentissimè aperuit, eamquè *dedicavit nobis recentem ac vivam per velum hoc est suam carnem*, Heb. 10: 20. Quo scilicet Math. 27: 51. Luc. 23: 45, Marc. 15: 38. significabatur omnes umbras cessaturas, abolitionem finalem pompæ carnalis superventuram: ( unde cum tota præceptorum carnalium moles cessavit, sola relicta fuit, loco promissionis, quam audiverant Patres, evangelii prædicatio, in qua & cum qua Christi regnum, quod est justitiæ regnum, inchoatum est ) verum illum Pontificem *Jesum* per proprium suum sanguinem ingressum fuisse in cæleste sacrarium: gratiam spiritûs e templo evolasse, tunc enim a gratia Dei Israël decidit, cum tanto furore salvatorem suum occidit: & Christum cæcitate omnium cordibus, & oculis, quot quot eum verâ fide recipere, amoturum. *Verbo:* Tunc a lege ad Evangelium, a Synagoga ad Ecclesiam, a multis sacrificiis ad unam hostiam, quæ Deus est, evidens est facta translatio, atque ex omnibus gentibus unus factus populus.

LXIII. In *Sancto*, seu parte anteriore tabernaculi, ubi *λατρείας Cultus*, sacerdotes quotidie obibant, Hebr. 9: 6. erant (1) *λυχνία candelabrum aureum*, descriptum Exod. 25: 31. &c. sex calamis constans, ternis utrinquè porrectis, quibus impositæ lucernæ ardentes, illustrabant *ἀγίον* mediam partem; significabantquè illustrem Dei cognitionem, ac prædicationem puram verbi Dei, in Ecclesia vigere oportere; ac Deum illuminaturum omnes suo spiritu & gratiâ, rectè exercentes cultum præscriptum. Atquè item *τραπεζα* mensa e lignis sittim, auro etiam obducta; cum vasis aureis & duodecim scutulis &c. quibus imponebantur *ἄρτοι τῆς προθέσεως* *Panes propositionis*, Heb. 9: 2. cum Exod. 25: 23. 29. 30. adumbrantes Christum, *qui panis est vitæ* jugiter palcentem suam Ecclesiam. Psal. 23.

LXIV. Erat insuper sub dio *atrium* triplex, *Sacerdotum* nimirum pars vincinior sancto; *Israëliitarum*, pars remotior, contigua atrio interiori *Sacerdotum*; & *gentium* Joh. 12: 20.  
ipsum

ipsum tabernaculum ambiens, atquè omnibus patens, Exod. 27: 9. &c. significans externæ & visibilis Ecclesiæ conditionem, Psal. 4: 15. Apo. 11: 12. In atrio *Sacerdotum* stabat (1) *Labrum æneum*, purgandis sacerdotibus, tabernaculum ad ministrandum ingressuris, destinatum Exod. 30: 18-21. (2) *Ara holocaustorum* ad fores tabernaculi ( propter ignem, fumum, & nidorem victimarum, quæ in ea immolanda & cremanda erant: & ut intelligerent fideles, neminem posse ad Deum Patrem accedere, nisi per Christum ) *quinquè cubitorum longitudine, & quinque cubitorum latitudine*, ( nam altare *Thymiamatis*, *unius cubiti in longum & unius cubiti in latum*, Exed. 30: 2. &c. erat intus in sanctuario, seu interna parte Tabernaculi vers. 6. ) confectum quidem ex lignis sittim cum Tabernaculo, ( Nam ante exstructionem ejus, Deus altare construi jussit etiam ex lapidibus impolitis, & terra Exod. 20: 24. *Altare e terra facito mihi* &c. quomodo Christum in carne exhibendum initio vilem, & contemptum coram hominibus futurum: corpus terrenum gestaturum sicut & nos, significatum est ) sed ære ad fovendum ignem circumquaque obductum, Exod. 27: 1. 2. quomodo & Christi humanitas, Divinitate quasi obducta, eâ armabatur, digna & apta efficiebatur ad sustinendam iram Dei pro nobis, & peragendam nostri cum Deo reconciliationem, Heb. 5: 8. 9. In atrio *Israëliitarum* orabat populus, & sacrificia spectabat, quæ fiebant in atrio sacerdotum, unde hoc dicebatur *Templum populi, Tentorium conventus*, & a forma loquè, in quo tandem & ad quam reædificatum est a Zorobabele, *Porticus Salamonis*: in hac versatus est & docuit etiam Christus. In atro *gentium*, quod erat ante atrium Judæorum, vendebantur columbæ, oves & agni immolandi in templo, quos ejecit ex eo Christus, Marc. 11: 15. *Atrium* enim gentium erat quasi *templum gentium*; in quo proinde non decebat emi & vendi.

LXV. Succedit *Templum Hierosolymitanum* (cujus figura, fabrica & instrumenta 1. Reg. 6: 7: 2. Chron. 3: & 4: ) in  
E 2 quod,

quod Tabernaculum post varias de loco in locum transporta-  
 tiones, cum arca tandem fuit illatum, 1. Reg. 8: 4. 2. Chro. 5: 5.  
 à Salamone primum ædificatum, ad offerenda Deo in eo om-  
 nia sacrificia, & alia cultûs divini positivi exercitia pera-  
 genda: eversum a Chaldæis quidem sed rursus reædificatum  
 ex mandato Cyri, 2. Chron. 36: 22. 23. Esdr. 1: 2. 3: 1. post  
 reditum ex captivitate Babyllonica, a Reducibus Judæis  
 juxta prædictionem Angeli, Dan. 9 & absoluta instauratione  
 ejusinter varia impedimenta, & interruptionem ædificii  
 Esdr. 4: annis circiter 46. Joh. 2: 20. quod præfiguravit  
 principaliter ipsum Christum, qui proinde corpus suum appel-  
 lavit templum, Joh. 2: 19. dicendo: *Desturite templum hoc, &*  
*intra triduum excitabo illud Coll.* cum vers. 21. Apoc. 21: 22:  
*secundariò Ecclesiam Christianam ut ostendit visio Ezechielis*  
*ultima, & Johan: Apocaly: & Paulus 1. Cor. 3: 16. 17. Item*  
*quemlibet verè fidelem, nam horum quilibet est templum,*  
*in quo Christus per Spiritum sanctum & fidem habitat 1. Cor.*  
*6: 19. Nec non cælum ( ut & Tabernaculum ) ipsum Hebr.*  
*9: 24.*

LXVI. Ut auem Cultui Ceremoniali peragendo locus  
 erat destinatus: ita & moralis suis in locis, Synagogis nem-  
 pe frequentabatur, quæ fuerunt veluti Scholæ sacrae in uno-  
 quoquè oppido & pago, in quibus per singula Sabbatha, lex  
 Dei legebatur, & explicabatur, populus instituebatur; in-  
 vocabat Deum & eleemosynas contribuebat, Act. 15: 21.  
*Moses ab ataribus antiquis, oppidatim habet, qui ipsum prædicent;*  
*Cùm in Synagogis per singula Sabbatha legatur.* Cultui morali in  
 his peragi solito, interesse licebat etiam iis commorantibus  
 in locis refugii, adversus inconsultum impetum propinquo-  
 rum occisi, qui homicidium patnaverant prorsus involunta-  
 rium, quod ab instrumento ac modo describitur, Num 35:  
 & exemplo illustratur Deut. 19: Nam voluntariis hujusmodi  
 beneficium severè negabatur, Exod. 21: 13. Cujus rei  
 exemplum datur. 1. Reg 1: & 2: In synagogas illas & Chri-  
 stus

stus ipse & Apostoli, ingredi soluti sunt & in illis docue-  
 runt.

LXVII. Templum illud licet loci stabilitate, & ornatuum  
 amplitudine, longè magnificentius fuerit *Tabernaculo*, tamen  
 ut imperfectio istius œconomiae demonstraretur, *aliquandò*  
 profanatum; 2. Chron. 33: 4. 5. 7. Dan. 8: 11. 9: 31. *aliquan-*  
*dò* eversum Esdr. 5: 12. combustum, 2. Reg. 25: 9. & tan-  
 dem restaurandum. 2. Chro. 36: 22. 23. *aliquandò* repurga-  
 tum ( ut à Juda Maccabæo 1. Macca: 4: 43. & Christo (1) sub  
 initio suæ prædicationis, Joh. 2: 14. (1) sub fine ejusdem  
 quatuor diebus ante mortem Math. 21: 19. Marc. 11: 15. ) &  
 tandem iterum *aliquandò* exhibito corpore. Joh. 1: 17. Col.  
 2: 17. Heb. 10: 1. 2. Mal. 1: 11. juxta prophetiam Dani:  
 Cap. 9: & ipsius Christi prædictionem Math. 23: 38. 24: 2. pe-  
 nitus cum omnibus suis partibus & ornatibus, ( translato et-  
 jam sacerdotio Aaronico, alligato & ordinato ad legem cere-  
 monialem, in *Messiam*, qui est sacerdos secundum ordinem  
 Melchisedeci, & qui hætenus ad legem ceremonialem non  
 pertinet, Heb. 7: ) eversum esse legimus. Quare ornatus  
 hodiè sumptuosus et inanis, Christianis non est necessarius  
 utpote quorum verus & necessarius ornatus est sincera & pura  
 verbi Dei prædicatio, legitima sacramentorum a Christo in-  
 stitutorum administratio, purus cultus Dei, & pietas vir-  
 tusquè fidelium. Nec templa Christianorum hodiè partibus  
 iisdem præcisè constare, quibus Tabernaculum aut Tem-  
 plum Salomonis ( quamvis utriusquè structuram velle imitari  
 sit indifferens ) constabat, ex præcepto est necesse.

LXVIII. Quamvis ceremonia ista sacri loci, exhibito cor-  
 pore ita sublata sit, ut preces non amplius certo alicui loco  
 alligentur in N. T. Joh. 4: 22. 23. 1. Timo. 2: 8. Act. 17:  
 24. Mal. 1: 11. tamen locum aliquem ( licet nunc particu-  
 laris ejus determinatio in scripturis non sit præcepta ) apud  
 esse precibus accommodandum, & publicum communis præ-  
 cationis sedem, patet & ex Math. 18: 19. 20. *Ubi sunt duo vel*

tres &c. & Act: 15: 26. *πρῶτον* denotat locum, quo Paulus cum aliis fidelibus solebat proficisci ad communia pietatis exercitia: qui locus etiam latinis scriptoribus *Proseucha* dicitur. Pro ut etiam scriptum est, *Domus mea, domus precatonis vocabitur*, Math. 21: 13. Cum enim Deus constituit ut fideles omnis generis convenirent ad ipsius nomen & cultum celebrandum, consequenter etiam instituit, ut idoneum & commodum aliquem locum habeant, in quo possint convenire; Et cum etiam Minister a Deo sit constitutus ad alios publicè institutos, simul etiam constituitur, ut sedes & situs talis habeatur, qui tali actioni congruit; Et *secretiorem seu privatam* Math. 6: 6. *Tu verò cum precaris, introito in conclave tuum* (securus enim locus magis convenit fidei, ut sciamus Deum ubiquè esse præsentem, audire omnes & videre, & majestatis suæ plenitudinem in abdita quoquè & occulta penetrare, Jer. 33: ) & *clauso ostio tuo. &c.* Math. 14: 23. *Ubi Christus dimissâ turbâ, dicitur ascendisse in montem ad privatim orandum.* Marc. 14: 32. 35. & *Petrus ascendit in solarium ut oraret circa horam sextam.* Act. 10: 9. Quare perperam Pontificii privatas etiam preces Deo acceptiores esse in templis quàm in ædibus privatis statuunt; & volunt imagunculas semper habere oculis suis præfixas inter orandum; & tædiosas peregrinationes ad loca remota suscipiunt ut illic Deum precentur; & scrupulosè se obvertunt Orienti, dum precantur; qui mos licet antiquus & a Christianis primùm usurpatus ut se, à Judæis, Occasum versus orantibus, distinguerent, tamen ab Essæis & Samsæis solem ipsum colentibus, primam originem accepisse videtur.

LXIX. Post Christi etiam in cælos ascensionem fideles & primi Christiani, in cujusdam domus cænaculo, quod erat pars superior domus, conveniebant, & ibi perdurabant concorditer in precibus & supplicationibus, Act. 1: 13. 14. Postea in Templo Hierosolymitano, Evangelium de Jesu Christo annunciabatur. Act. 3: & 4: maximè in porticu Salamonis, Act. 5: 12. 25. Morâ autem persecutione ab hostibus Evangelii, in ædibus privatis convenerunt, velut in ædibus

Mariæ

Mariæ matris Johannis, qui cognominabatur Marcus, Act. 12: 12, Fideles etiam versantes inter gentes, primis illis temporibus, etsi nulla templa habebant, tamen conventus celebrabant in domibus privatis, in sylvis, in speluncis & Cæmiteriis; item in levibus quibusdam ædificiis (quæ vocabantur *Fabricas*) exstructis in Cæmiteriis. Quia autem longè post demum templa haberi ceperunt, apparet religionem Christianam, & veram Ecclesiam sine iis consistere posse.

LXX. Super sunt *Tempora sacra* cultui economico V. T. dicata; quorum quædam *Diei*, quædam *anni* erant. Seu recurrabant alia aut *singulis annis*, usque vel *aliquoties*, vel *semel*; alia nonnisi plurium *annorum* lapsu. *Tempora sacra diei* erant vel *uniuscujusque*, quibus jure sacrificium offerebatur mane nimirum & inter duas vespervas Exod. 29: 38. &c. & in quibus suffitus in Thymiaterio faciendus erat, Num. 28: 2. 8. 29: 38-42. 30: 7. 8. 26. Singulis enim diebus sua stata erant sacra vel *septimi cujusque diei*, quibus Sabbathum sanctâ quiete erat transigendum, duplicato etiam in iis jugi sacrificio: Num. 28: 9. 10. vel *Calendarum singularum*, quibus Neomeniæ celebrabantur, quæ erant principia mensium cum denuò conspiceretur Luna post sui cum sole conjunctionem, Num. 28: 11-15. Jussit autem Novilunia esse sancta, ut doceret novam lucem aliquando orituram, eamquè sanctificatione ornandam esse. Ideò & scriptura prophetica per novilunium intelligit id tempus quo Deus omnia faciebat nova. Psal. 81: 4. Esa. 66: 23.

LXX. *Tempora sacri anni*, seu quotannis semel recurrentia erant, in quibus solemnitates anniversariæ celebrabantur, quarum quæ plurium dierum erant, primus & ultimus dies (quibus nullum opus præter præparationem cibi permissum fuit Exod. 12: 16. quo indigitabatur omnimoda per initium & finem totius vitæ nostræ consecratio. 1. Cor. 5: 7.) pari ceremoniâ & solemnitate peragebantur: Quare & peculiari-ter (ut & omnia Judæorum festa solemnia, Lev. 23: 32. cum eodem

eodem ferè modo ea , quo *Sabbathum* hebdomadale , celebrant ; imò etiam tota septimana synedochicè Luc. 18: 12. ) *Sabbatha* vocantur , et si in *Sabbathum* hebdomadale non inciderint , Lev. 23: 39. *Die primo erit Sabbathum , & die octavo erit Sabbathum , seu cessatio vobis , quorum primus in festo Paschali , magnus dies Sabbathi dicitur , Joh. 19: 31. & secundus Sabbathum δευτερογενῆτον , Luc. 6: 1. Sic etiam annus septimus , Sabbathum terra nominatur , Lev. 25: 2.*

LXXII. Solemnitates seu *Festa* ista erant aut magis aut minus solemnia. Ista erant (1) *Festum Paschatis* dies nimirum festus magnus celebratus anni sacri, mense primo בִּרְאָה dicto , ad sempiternam memoriam educationis ex Ægypto , Exod. 23: 15. Atque adeò huc pertinuit esus *agni Paschalis* die decimo quarto , qui erat plenilunii , inter duas vespervas jagulandi , assandis ; a personis mundis cum azimis & amaris herbis comedendi ; Exod. 12: 2-6. 8. 9. 10. 46. & *panum azymorum* die decimo quinto , unde etiam *festum azymorum* dicitur. Item *manipulus* postero die Sabbathi , sive die primo hebdomadis agitandus coram Jehova , Lev. 23: 4. 11. Id de primo die hebdomadis accipiendum esse , clarè patet ex eo quod scriptura jubeat numerare *septem sabbatha integra* , vers. 15. *usque ad posterum diem Sabbathi septimi* vers. 16. Sic Christo patientè accidit , ut secundus festi quo resurrexit , esset postriduanus Sabbathi , sive primus hebdomadis. Cum autem videmus Christum primogenitum ex mortuis & primitias eorum hoc die resurrexisse , non dubitamus Deum in oblatione manipuli ei rei prælusisse. Nam manipulus ille primitiæ erat seminum , quæ in terram ceciderunt , & ex terra quasi revixerunt.

LXXIII. (2) *Festum Pentecostes* dies scil: quinquagesimus , a feria secunda , seu a postero die Sabbathi Paschatis ( debebat enim in primam Sabbathorum incidere , Lev. 23: 16. ) quo quælibet familia duos panes ex primitiis frugum ( ut novum munus ) offerebat , ad memoriam promulgatæ legis , Lev. 23: 15-21. Exod. 23: 16. Ubi festum *Messis* appellatur , quia

Disp. VI. Resp. PAULO WISCHI

quia eo incipiebat segetum messis , Deut. 16: 19. Hic etiam novum munus præludium fuit initiationis Apostolorum & Ecclesiæ N. T. per effusionem Spiritus sancti. (3) *Festum Tabernaculorum*. ( de quo Deut. 16: 13-15. Ezech. 45: 25. ) celebratū , die decimo quinto mensis septimi ad memoriam conservationis populi in tabernaculis deserti commorantis , & gratiarum actionem pro terra promissa ipsis tradita , & pro anni frugibus collectis : Unde & *Festum collectionis* dicitur , Exod. 23: 16. Huic Festo Christum dominum interfuisse legitur Joh. 7: 14. *Festo autem illo jam medio , ascendit Jesus in templum & docebat*. Ut enim majus audiendi sui desiderium , per tot dierum moram & expectationem auditoribus ipsum expectantibus vers. 11. injicere posset , primis diebus festi , commorabatur in tabernaculis per urbem vel extra eam erectis. Dicitur enim vers. 10. *tunc ascendisse ad festum , cum & ejus fratres , licet occultè. Festum* hoc in veritate celebrandum docet Zacharias , Cap. 14: 16. innuens in Ecclesia Christiana , pessundato Antichristo aut saltem Ecclesiâ ab ipso liberatâ , fideles abnegata terrestri hereditate & civitate , se paratos ad emigrationem ex hoc seculo , & regnum gloriæ excipiendum.

LXXIV. Festa minus solennia erant : (1) *Tubarum* , celebratum primo die mensis septimi , clangore , quiete & sanctæ convocatione transactum Lev. 23: 24. 25. De sacrificiis sive cultu hujus Festi , vide Num. 29: 2-6. Significabat continuam & spiritualem læticiam sub Evangelio , cum Cantu & gratiarum actione resonantem , Esa. 35: 2. 3. 10. (2) *Expiationis solennis* decimo ejusdem sacrum erat Lev. 23: 27. 28. & in quo animæ stato & quieto jejunio erant affligendæ , Lev. 16: 29. 31. Num. 29: 7. oblati sacrificiis ut in octavo Festi tabernaculorum , & ordinato peculiari cultu ad sanctuarium , tentorium conventus , altare , Sacerdotes , totumquè populum per Pontificem expiandos , Lev. 16: 32-34. Sorte enim

lecti hirci sanguis, hoc die intrò ferebatur in sanctum sanctorum à summo sacerdote aspersuro digito suo superficiem ipsius operculi propitiatorii, orientem versus. Alter hircus Azazel, qui dimittebatur in desertum, non tam significat sacrificium Christi quàm effectum sacrificii ejus, quo peccata nostra planè extrà conspectum terræ habitatae & memoriam auferuntur. Figurabat etiam Christi abductionem in desertum, quando jejunavit & a Satana tentatus est. Matth. 4. Jejunium docebat eos, quorum peccata expiantur, debere imperare conscientis, & omnia terrena abnegare, quin etiam illum amorem in iis effici, ut animæ suæ, hoc est vitæ non habeant rationem. Nam jejunium non est satisfactio.

**LXXV.** Solemnitates plurium annorum lapsu recurrentes erant *Annus Sabbathicus & Fubilaus*. Annus Sabbathi seu hebdomadarius erat septimus quisquè a die expiationis incipiens, ab introitu in terram Canaan, quo terra omninò cessabat, omnis, ejus cultus fuit planè intermissus, & voluntarii insativiquè fructus egentibus relinquendi, aut communi jure cum illis participandi, aut bestiis potiùs agrestibus relinquendi erant, quàm à Dominis fundorum colligentur: & quo intermittenda erat exactio nominum, ne vid: populares Izraëlitæ cogentur æ alienum exsolvere: quippe ideò hoc anno lites cessare jubebat, nequis esset molestus suo debitori; quamvis ab alienigenis debita potuerint exigi, Exod. 23: 11. Lev. 25: 6. 7. Deut. 15: 1. 2. 3. Iniquum enim fuisset etiam contemptores legis frui privilegii Sabbathi. Intermisionem autem culturæ agrorum & vinearum Deus fieri voluit, partim ut hoc ritu populus iste ab aliis gentibus discriminaretur, partim ut ista intermissio culturæ agrorum, esset exercitium populi in fiducia providentiæ divinæ quam causam Deus ipse exprimit, vers. 20. Lev. Cap. 25: ubi jubet ipsos acquiescere in ipsius voluntate & mandato. Promittit se terram duplo aut triplo fertiliorem anno sexto, ut proventus ejus in tres annos sufficiant.

**LXXVI.**

**LXXVI.** Leve nimis est, quòd terra dicatur res bruta: proindequè eam non potuisse celebrare Sabbathum. Etenim *celebratio Sabbathi* aliquando significat tantum ipsam quietem seu ipsum quiescere, quod & terræ benè convenit; aliquando sabbatho Deum sacris actionibus colere. Itaque ratione ambiguitatis, quæ est in *celebratione Sabbathi* concedi & potest & non argumentum. Deniquè *terra servare* dicitur *Sabbathum* non per se seu ratione sui, sed respectu hominum in ea habitantium *συνεδοχικώς*. Nam præcipuè hominibus interdixerat labore; quamvis etiam aliquam rationem habere voluit ipsius soli, quòd necesse est exhauriri tandem, si sine omni intermissione colatur.

**LXXVII.** *Annus Fubilaus* (ita dictus a sonitu cornu arietini, quò festum hoc solemniter proclamabatur) erat solemnitas quinquagesimo quo vis anno recurrens, quo omnes possessiones ad suos Dominos redibant, & servi populares manumitti consueverant. Quippe ut erat medium conservandi (*civilliter*) & distinctionem tribuum; & bonorum singulis tribubus assignatorum in prima distributione; Cum hoc anno servi, qui egestate coacti se ditioribus oppignorarent, vendicabantur in libertatem; agri venditi redibant ad pristinos dominos: Sic fuit (*mysticè*) typus & prædictio vindiciarum & manumissionis a servitute peccati, & Diaboli per Christum Dominum Lev. 25: 8. 9. 16. 27. Unde *annus Fubilaus* Christianorum, consistens in remissione peccatorum per Christum, dicitur *annus Domini acceptus*, Luc. 4: 19. Coll. cum 2. Cor. 6: 2. Nec id, quòd ditiores ex mandato Dei stimulabantur, ad restitutionem ejus quòd pecunia emerant, injustum fuisse debet videri. Nam pretium sic temperabatur, ut emptori interim ad usquè Jubilæum posset satis fieri ex usufructu pro pecunia expensa. Emptio etiam fiebat cum pacto de restituendo in Jubilæo. Nec emebantur fundi, sed usufructus.

**LXXVIII.** Cum autem jam istius *Fubilai* veritas per Christum sit impleta, planè *κακογυλῖα* impià videntur Pontificii ad imitationem

rationem hujus festi, suum *Jubilaum* celebrare. Etenim *Jubilaum Judaicum & Pontificium* in una sede morari non possunt. Nam (1) *Illud* Deus mediante Mose instituit, qui fuit fidelis minister in domo Dei; hoc authorem habet Bonifacium VIII. de quo Domesticus scriptor: *Intravit ut vulpes, regnavit ut Leo, mortuus est ut Canis.* (2) *Illud* singulis quinquaginta annis celebratum legitur; hoc verò ex institutione Bonifacii singulis centum annis; Clementis sexti, quinquagesimo; Urbani sexti, trigesimo tertio; Sixti quarti, vigesimo quinto; Julii secundi, decimo quoque anno celebrari potest (3) *Illud* principaliter institutum erat, ut Israelitæ qui paupertate coacti, Israelitis aliis in servitutem se addixerant, libertatem, qui verò agros vel fundos abalienaverat, possessiones eo anno recuperarent. Eratque hæc politica, libertatis & possessionum recuperatio, figura (ut & 77. dictum) recuperationis sempiternæ libertatis à peccati, mortis Diabolique servitute & possessionis cælorum per peccatum amissæ. At verò Pontificum *Jubilaum* institutum est nundinationis indulgentiarum gratiâ, quarum olim in Germania institutor & propala fuit Tezelius Monachus Dominicanus, quem in actu adulterii deprehensum Maximilianus Imperator, sacco suffocandum statuerat, nisi intercessionibus Magistratum a supplicio fuisset liberatus. Hic est ille earum Nundinator, qui in Germania dicere solebat: *Statim ubi coniectus in cistam nummus tinnierit, anima pro quibus sunt indulgentiæ, redimuntur ex purgatorio, & in cælum evolant.* Verbo: Nec quicquam aliud est *Jubilaum Papisticum*, quàm abnegatio missionis Messie promissi, & liberationis æternæ per Christum factæ. Quicumque enim figuras futurarum rerum retinent, ii facto ipso testantur se non credere promissiones de Messia impletas esse, ac proinde eum nondum venisse, & redemptionem æternam attulisse.

LXXIX. Præter solemnitates *lege Dei sanctitas fuerunt & Indictiva*, dictæ etiam *Conceptiva*, quæ ex pio consilio à Judæis fuerunt ad recordationem beneficiorum divinatorum  
ipsis

ipsis suo tempore exhibitorum, quales fuere. (1) *feriæ conceptiva* ab Ezechia Rege & populo Israelitico, unâ tantum vicè celebratæ, ad professionem grati erga Deum animi, pro restauratione & reformatione puri cultûs Dei. 2. Chro. 30: 23. (2) *Purmi feriæ* scil. *Imperativa* Judæorum a Regina Esther & Mardocheo quæ 14. & 15. diebus mensis *adar* celebrabantur, ad memoriam crudelissimi Hamanis, de Judæis ubique trucidandis, divinitus impeditus Esch. 9: 17. (3) *Eucænia feriæ* itidem imperativæ à Machabæo institutæ, quæ die vigesimo quinto & sequentibus mensis notii, qui *Ἰβὺς* dicitur, celebrabantur, ad memoriam instauratæ religionis templi ante ab Ethnicis profanati. 1. Mach. 4: 59. Joh. 10: 22.

LXXX. Quia enim ex autoritate scripturæ servendum est Deo cunctis *vita nostræ diebus*, Luc. 1: 75. *præcandumque omni tempore per spiritum fidelium*, Eph. 6: 18. 1. Thes. 5: 17. exinde patet, præter extraordinarias & subitaneas cordis ad Deum elevationes in opere nostro prægando, stata etiam num debere esse tempora, & *quotidiana precum privatarum atque domesticarum*, exemplo Davidis, qui *vesperi & manè atque meridie* se meditaturum & precaturum profitebatur, Psal. 55: 18. 17. & Danielis, qui *in cœnaculo suo ex adverso Hierosolymorum & temporibus tribus de die procumbens in genua sua, orabat & confitebatur coram Deo suo*; Dan. 6: 11. & *hebdomatia publicarum*; Ut enim *hora nona*, quæ erat hora jugis Sacrificii vespertini Num. 28: erat quoque tempus sacri conventûs in templo & *hora peccationis*, Act. 3: 1. Ita fuit etiam precum typus ipsum sacrificium cum suffito ei conjuncto, Psal. 51: 17. & 141: 2. Hebr. 13: 15. *Quotidie* etiam a Deo variis beneficiis ad hoc officium invitamur: ab hostibus animarum nostrarum variis periculis urgemur: a defectibus etiam nostris & aliorum necessitatibus excitamur: & a natura ipsa orationis, in qua singularem & suavissimam cum Deo communionem, exercitium omnis gratiæ & animarum nostrarum refectionem ac reparationem habemus, ad quotidianum hoc exercitium allicimur & quasi vi gratâ promovemur. Nec cultus

cultus ille, qui commodè quotidie potest frequentari, (qualis sunt preces) ullo die debet omitti: Cum enim ut institimur in oratione Dominica petere quotidie: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; ita magis adhuc instanter quærendum est regnum Dei ac iustitia ejus; Cum major debeat ratio haberi rerum cælestium quàm terrestrium Mat, 6: 33. *Quæ rite primò regnum Dei ac iustitiam ejus & omnia ista adjiciuntur vobis.*

LXXXI. *Hora* tamen Pontificiorum *Canonica*, opinione meriti excogitata, nullo modo possunt approbari. Præcisè enim septem horis (quamvis certis & statis horis, tum privatim, tum publicè precibus vacare pium sit,) tot *Ave Maria*; tot *Pater noster* absquè ulla devotione, ut sit demurmurare, planè superstitiosum censemus & præter verbum Divinum; quare etiam Bellarm. *officium divinum*, quod scilicet hisce horis Canonicis absolvitur, ait *auctoritate præsulum esse institutum*, Lib. 1. De bon. oper. Cap. 13. Daniel etiam ex pia consuetudine, non verò ex regula certa & præscripto sic oravit ad exemplum Davidis, qui aliàs septies legitur orasse: Oravitquè hisce horis, non quod his peculiarem aliquam præ aliis sanctimoniam adscriberet, aut verò precibus hisce horis fieri solitis, majorem efficaciam, aut meritum majus tribueret: sed quòd tum hisce ipsi maximè vacaret a negotiis aulicis. *Manè* scil. priusquam dono in aulam prodiret; *meridie* dùm domi pranderet, uti etiam Joseph consueverat Gen. 43: 16. *Vespere* negotiis peractis: Tum etiam quòd hisce temporum momentis, beneficiis Dei stimuletur. Nimirum *manè* gratiæ fuerunt agenda Deo, pro custodia præteritæ noctis. *Meridie* cibis cum gratiarum actione & sanctificatione per preces erat sumendus. *Vespere* gratiæ Deo erant agenda pro diei felici transactione, atquè adeo se iterum Deo erat commendandum. Sic & nos piè a Deo initium, felicem successum, beatum diei exitum petimus. Hinc ergo ritè hoc insertur: *Esse orandum statis horis*; non item hoc: Ergo certo hominum ordiniprec-

ces

ces ad calculorum numerum ex opinione meriti demurmurandæ.

LXXXII. Præconceptis etiam uti formulis in precibus ad stata pietatis exercitia tam privata quàm publica, quibus mens & lingua in officio dirigantur, & licet & expedit. Sanctorum enim approbatam praxin, in præscriptis psalmis (unde hæc psalmodia, pertinens procul dubio ad precationem; & hodie ex statis & ordinariis formulis peragi debet) & benedicendi formulis, scriptura nobis commendat; Quippe Deus specialem præscripserat servandam in benedictione Sacerdotali, *Sic benedictio filii Israelis, dicendo eis, Benedicat tibi Jehova, & custodiat &c.* Num. 6: 23. 24. & in consecratione templi *Sacerdotes in observationibus suis consistebant & Levita cum instrumentis Musicis Jehova, qua fecerat David rex ad celebrandum Jehovam, quoniam in seculum benignitas ejus, per hymnum Davidis traditum in manum ipsorum* 2. Paralip: 7: 6. Edixitquè *Ezechias Rex & Principes Leviticis & laudarent Jehovam verbis Davidis & Asaphi videntis.* 2. Paralip. 29: 30. Ita Paulus vult ut loquamur *inter nos mutuo psalmis & hymnis spiritualibus, cum gratia canendo in nostro corde Domino*, Eph. 5: 19. Col. 3: 16. & *Jacobus, Ager est animo aliquis? Oret: bono animo est aliquis? psallat.* Jaco. 5: 13. Sunt etiam *quidam fideles adeò rudes, ut non possunt sua desideria commodis verbis ulla ex parte explicare; quidam autem vel facultate idoneâ, vel eam exerendi libertate destituuntur cum est, cum aliis orandum.*

LXXXIII. In istoc tamen orandi modo, non debet quisquam acquiescere, sed eo potius niti, ut possit animi sui sensus, absquè hujusmodi adminiculo coram Deo explicare. Formula enim præscripta dum affectus nostros internos non planè sequitur, sed ducit, minus perfectè illud agit, quod est ex natura orationis: Nec eâ omnia illa particularia possunt explicari, quæ nostra interest proponere coram Deo: Deus etiam inter orandum solet in cordibus nostris excitare speciales affectus, qui sæpè impediuntur & extinguuntur, si præscriptæ formulæ semper adhæreamus: Hæc

Hac denique ratione, obrepat nobis ofcitantia, & tepiditas & corpor quidam inter orandum ita ut formula dicatur tam ex consuetudine, & pro forma.

## COROLLARIA

Sub Novo Fœdere, nulla placent Deo sacrificia externa; ita tamen spiritualia & mystica Mal. 1: 11. 1. Pet. 2. 1. 2. Hebr. 13. 15.  
2. Nulla etiam externa sacrificia reperiuntur incruenta sub lege.  
3. Victimæ hodiè offerre, est Dæmonis, non Deo sacrificare. 1 Cor. 10. 18. 20.

4. Filia sacerdotis, ex ejus familia nupta, non poterat comedere (ut sacerdos cum sua familia) ex sacrificiorum reliquiis. Num. 5: 8. 18. 9. 21. Non enim habebat jus familia; reversa tamen Vidua sine liberis in adolescentia ad Patrem, poterat. Lev. 9. 10. 11. 12. 13.

5. Per æquitatem itaque istius legis dicimus eos, qui ministerio serviunt ex eo etiam vivere debere, nec aliunde derivanda esse, quæ hunc usum tantum ad sufficientiam sunt ne cessaria. 1. Cor. 10. 8. 13. Etiam qui ex sacrificiis comedebant idololatrarum, in eisdem altaribus participes erant et sunt. 1. Cor. 10. 18. 19. 20.

6. Lex de lepra mundanda per sacerdotem, pertinet ad partem legis Moysi ceremonialem. Unde Sacerdotum erat de ea cognoscere.

7. Non tamen exinde Pontificiorum confessio auricularis ritè conficitur.

8. Christus non fuit Sacerdos oriundus ex Levi. Gen. 48: 10. sed Iudæ Heb. 7. 14. Unde putamus ipsi non licuisse ingredi Sanctum multo minus Sanctum Sanctorum.

9. Iosephus omnia jura veri sponsi in B. virginem habuit. Unde jure vocari potest Pater Christi, ut pote qui per Conjugium corporis Sponsæ quasi dominus effectus est.

10. Ad ipsum itaque fructus Corporis B. Virginis pertinet, uti metalla nata in agro, ad Dominum agri pertinent. Quod enim in agro meo nascitur, meum est, ait I. C. T.

11. Negamus intercesse, 40. annos inter mandatum de manna reservanda Exod. 16. & executionem ejus.

F I N I S.



Denen Ehrenvesten / Hoch- und VorAchtung  
Hoch- und Wohlwelsen / Hoch und Wohlgelarten / Vorsicht  
und Erbarn / Herren Bürgemeistern / Syndicis und gesamb-  
tem Rathe / auch Zehnmännern der löb-  
lichen Stadt

Braunschweig/

2400

Wünsche ich von dem grundgütigen barmherzigen  
GOTT dem Vater unsrer Heylands Christi JESU Brud-  
Gegen / Friede / Ruhe / und alle zeitliche und ewige Wolfahrt  
durch Christum.



Ehrenveste / Hoch- und Vor-  
achtung / Hoch- und Wohlweise / Hoche  
und Wohlgelarte / Vorsichtige und Erbare  
Herrn / mächtige Patroni und Freunde /  
Es ist annoch im frischen Andencken / wel-  
cher gestalt / auff eingelangte gnädigste  
Vocation, Dero Churf. Durchl. zu Sach-  
sen / meines Gnädigsten Churfürsten und  
Herrn / diese Ambtsstelle zu bedienen / ich  
meine Valet Prediat am 3. Januar. nechsthin / nach den Gaben / die  
GOTT ve. liehen / ( Wie wol nicht ohne Thränen ) bey sehr grosser und  
Volkreicher Versammlung abgelegt / selbige auch mit vielen Thränen  
angehöret worden. Weiln ich dann bey meinem Abtritt / auff vieler  
frommer Herren inständiges Begehren / zugesaget / sothane meine ge-  
haltene